Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Johann Hartmann

Ioannis Hartmanni Philos. Et Ivris Vtrivsqve Doctoris In Acad. Ienensi Tractatio De Redvctione Ivris Ad Sva Principa. Oder: Einleitung zur wahren Rechtsgelahrheit und ihren Gründen : Qvae Genvinos Ivris Fontes Exhibet Et Solidam Viam Ivrisprvdentiam Addiscendi Demonstrat : Cvm Indice Rervm Et Verborvm Locvpletissimo

Ienae: Rec. Litteris Ritterianis, 1752

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0001
DFG

Ed, a IV
390

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0002
DFG

1018

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0003
DFG

IOANNIS HARTMANNI
PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS
IN ACAD. IENENSI

TRACTATIO DE REDVCTIONE IVRIS AD SVA PRINCIPIA.


Oder:

Einleitung zur wahren Rechtsgelahrheit und ihren Gründen.

QVAE
GENVINOS IVRIS FONTES EXHIBET
ET SOLIDAM VIAM IVRISPRVDENTIAM
ADDISCENDI DEMONSTRAT.
CVM
INDICE RERVM ET VERBORVM
LOCVPLETISSIMO.

IENAE, REC. LITTERIS RITTERIANIS,
A. O. R. M. DCC LII.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0005
DFG



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0006
DFG

LECTORI BENEVOLO

S. D. P.

PHILOSOPHIAE, scilicet Logicæ & Metaphysicæ studium legum Cultori necessarium esse & utile ad acquirendam solidam jurisprudentiam penitius considerantes fatentur omnes, & comprobat magnus numerus Studiosorum ad collegia Logicæ & Metaphysicæ confluens. Nec obstat, quod quidam graves & doctissimi Viri Studium istud abominati, & a juventute se odisse publice testati sint. Sed ipsi

manifestis verbis loquuntur de Philosophia scholastica, in qua multa Studioso jurium inutilia tractantur, utilia & necessaria vel negliguntur, vel obiter duntaxat, aut adeo obscure traduntur, ut Auditori & Lectori inperceptibilia, aut maxime difficilia videantur, atque nauseam creent; Præsertim, quia futurum usum non inspiciunt Auditores. Quod autem porro Vir quidam Illustr. scribit, HARTVNGIVM in sua Metaphysica juridica oleum & operam perdidisse, si universum intelligat, verum non esse ipsa lectio dictæ Methaphysicæ commonet; si vero de abundantia exemplorum statuat, transire potest; Quanquam mea opinione, hæc non sit inutilis opera, quid enim interest, an sparsim in interpretibus juris, vel ipsis legibus, an

in

in uno cumulo in d. Hartungio legantur ab eo, qui, non perfunctorie ſtudens, ſolidum & amplum jurisprudentiæ apparatum colligere cupit? Terminos metaphyſicos & diſtinctiones rem magis involvere, quam explicare, non concedo. Tales termini, ut puto, eſſe poſſunt: Actus ſignatus, actus exercitus. Exiſtentia ſignata, exiſtentia exercita. Actus primus, actus ſecundus. Entitas &c. Item eminenter, formaliter. Formailter & virtualiter. Efficienter & effective. Objective, & ſubjective &c. Verum enim vero iſtos terminos non implicare fatebitur is, qui vel modicam eorum expoſitionem perceperit: e. g. Princeps non habet jurisdictionem formaliter, ſed eminenter, & virtualiter, ſcilicet habet eam

in potestate majoris & perfectioris potestatis, quam Magistratus, & judices a suprema potestate constituti, sive continet eam in virtute Majestatis, atque supremæ ubique potestatis, sive omnipotentiæ civilis. Sic quoque dominus in re sua non habet servitutem formaliter, habet tamen eminenter & virtualiter, sive vi perfectæ facultatis disponendi de re sua. Sic ergo is, cui asserenti dominum posse in re sua alii constituere servitutem, objecerit quis hoc argumentum:

Nemo, quod non habet, alii dare potest.

At, Dominus in re sua servitutem non habet.

E. Dominus in re sua alii servitutem dare non potest.

Prom-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0010
DFG

Prompte & clariſſime reſpondebit *diſtinguendo*:

Quod nec eminenter & virtualiter, nec formaliter habet, dare non poteſt, concedo; quod non habet formaliter, habet tamen eminenter & virtualiter, dare non poteſt, nego.

Sic quando Princeps judicem dat, non mandat jurisdictionem; quia mandatarius non exercet jurisdictionem eminentem (ſcilicet Majeſtatem) principis alieno nomine, ſed novam creat princeps jurisdictionem in mandatario, ſive commiſſario, atque propterea hic eſt inſtar judicis ordinarii. De cetero audita voce: *efficienter*, dirigatur mens in cauſam efficientem. Audita voce: *effective*,

ve, dirigatur mens in effectum. Audita voce: *objective*, dirigatur cogitatio in objectum. *Subjective*, in ſubjectum. *Materialiter*, in materiam. *Formaliter* in formam. *Concomitanter*, in id, quod rem, vel formam aliquam concomitatur; Sic venditor vi formæ contractus debet præſtare rem venditam; culpam levem *concomitanter*, (quæ alias dicitur obligatio ſecundaria.) Audita voce: *in actu ſignato*, dirigatur mens in actum expreſſum. *In actu exercito*, flectatur in exercitium. Sic fur vult partibulum in actu exercito, non in actu ſignato &c. Quæ quid habent difficultatis, implicantiæ vel obſcuritatis? Profecto *L. 11. §. 6. π. de except. rei judic.* difficulter percipietur ſine diſtinctione inter *materialiter* & *formaliter*, quam tamen dicta diſtinctio-

ctione adhibita perceptibiliter repræsentabo, & *Arnold. Vinn. ad princip. Inst. n. 6. de servit. rust. & urb. præd.* lucide declarabo. Paulisper subsistendo, consideremus casum: 1) petivi a te iter, & succubui, postea peto actum, & non obstat mihi exceptio rei judicatæ *alleg. L. 11. §. 6.* 2) Petivi iter, & succubui, postea vero peto viam, & obstat mihi dicta exceptio *arg. L. 7. princ. eod.* Quæritur, quæ sit ratio diversitatis? Cum non minus iter sit pars actus *arg. L. 1. π. de adim. & transf. legat.* quam viæ. Respondeo, quod aliud sit actus, aliud iter, sed non aliud iter & via, quod diversa viæ, actus & itineris definitio ostendit, atque ita iter in via formaliter, essentialiter & substantialiter contineatur. Quando ergo iste, qui prius petivit iter &

ſuccubuit, poſtea petit viam, idem petit. Aliud eſt in itinere & actu petito. Nec obſtat *alleg. L. 1. de adim. & transf. leg.* quia loquitur de itinere conjuncto & inſeparabili ab actu, cum agere ſine eo, qui agit, concipere nequeamus. Plura, quæ ad oculum poſſent exponi, nunc perſequi non fert inſtituti ratio. Hoc ſaltem in præſentiarum intendo, HARTVNGII Metaphyſicam juridicam (vel aliam ejusdem farinæ) ſolido jurium Cultori, neruoſe quoque, breviter & nitide loquenti ad perfectionem neceſſariam & utilem eſſe, atque pro una parte Philoſophiæ ſatis abundeque jurium Studioſo ſufficere, & aliter ſuadentem optimum jura ſciendi inſtrumentum e manibus eripere velle. Sane materiam artis terminis eruditis explicare nitidum eſt.

Alte-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0014
DFG

Alteram partem Philoſophiæ veram & ſolidam jurisprudentiam appetenti non duntaxat proficuæ, verum quoque, propria & aliena experientia per curſum doctrinæ juris triginta, & ultra, annorum me docente, etiam provectioribus jurium Cultoribus neceſſariæ, quod attinet, eſt Logica, non per ens latiſſime ſumptum, & circa id verſantes intellectus operationes vaga, ſed ad entia moralia & negotia juridica applicata. Cum enim ſit habitus intellectus dirigens operationes mentis juxta modos ſciendi, atque dentur operationes mentis circa res & negotia juridica juxta modos ſciendi dirigendæ, manifeſtum eſt, quod detur Logica juridica; ſicubi enim res apprehendendæ (quo pertinet tractatio de terminis, quibus

res

res ſimplices repræſentantur) profecto in jurisprudentia ea apprehenſio & repræſentatio fit per terminos, antequam judicetur, & affirmetur vel negetur prædicatum de ſubjecto; In nulla namque diſciplina frequentior eſt uſus termini cum communis, tum technici, quam in negotiis juridicis; Dicitur enim terminus technicus (apud nos juridicus) vox, quæ ſpecialem uſum habet in materia juridica, quem vulgus non capit. Ut ergo intellectus terminos, & iis mediantibus res ſignificatas recte apprehendat, varietatem eorum, an æquivocus, vel analogus &c. ſit, probe perpendere, genera, differentias, & ſpecies ex iſtis compoſitas, conſequenter definitiones & diviſiones explicare, propria atque accidentia quarumvis

rerum

rerum juridicarum inveſtigare, eruere, & conſentanea ac diſſentanea diſcernere debet &c. Deinde feret judicium affirmando, vel negando unum de altero, in quo judicio dirigendus eſt intellectus, ut rite procedat, examinanda eſt vis prædicati & ſubjecti, quæ in eorum collatione maxime eniteſcit, quod fit beneficio Logicæ. Ex uno quoque judicio, ſive enunciatione, intellectus procedit in aliud, atque mediantibus præviis judiciis aliquid concludit, qui dicitur diſcurſus, ſive Syllogismus. Quis hæc in jurisprudentia locum habere inficiabitur? Quæ cum ita ſint, & in foro libellus, ipſaque probatio, imo inquiſitio criminum per Syllogismum fiant, ubi media concludendi ſolicite ſunt conquirenda (hinc caveat practicus, ne articu-

ticulos ponat, ex quibus ſua propoſitio probanda non concluditur.) Litis conteſtatio per accuratam contradictionem & ſimplicem enunciationem (ubi cavendum, ne una propoſitio involvat plures per qualitates adjectas & circumſtantias) peragenda ſit, ubi Logica ſuum officium exercet, jurium Cultor cauſam habet, ut Logicis ad uſum juris accommodatis animum adjiciat, & ego conſiderando aliarum Logicarnm; e.g. Enchiridii Logicæ juridicæ Illuſtr. IO. BRVNNEMANNI ſuperfluitatem & in aliquibus locis nimiam, nec neceſſariam, nec utilem ſubtilitatem (ut ipſe B. JCtus ex poſt facto faſſus eſt) in animum induxi neceſſaria & utilia contrahere, exemplis ex ipſius potiſſimum jam dict. B. JCti Commentariis ad jus civile, & ex

ex ipsis legibus desumtis illustrare. Quam opellam Legum cupidæ juventuti consecro, dicoque, ratus neque per excessum, neque per defectum peccatum esse, & nullam lectionem attentam, sine profectu in jurisprudentia susceptum iri, quapropter spero operam adhibitam gratiorem futuram, præsertim, cum ita legum Cultor diffusissimæ & in multis casibus subtilissimæ jurisprudentiæ acquisitionem quodammodo suplevaturus sit; quam ob rem libellum Benevoli Lectoris favori enixe commendo, & si quædam rigori logico non adeo convenientia deprehenderit (quod in ipso scripto subinde monitum est) ex fine proposito excusaturum confido; Querenti quoque de superfluitate, & insertione rerum non necessariarum

huic

huic libello facta, reſpondeo, me etiam monuiſſe, quædam duntaxat voluptatis gratia poſita eſſe, idcirco arbitrariæ lectioni committo, meque cum opella iſta optimis legum fundamenta inveſtigantibus commendo, rogoque, ut favore ſuo me ita ſuſtentent, ut plura maiora jam præparata, & dunaxat in ordinem redigenda in lucem publicam proferre valeam.

IO. HARTMANNVS,
Philoſ. et I.V. D.

LIBER

LIBER PRIMVS
DE SIMPLICIVM APPREHENSIONE.
CAPVT PRIMVM
DE SIGNIS ET TERMINIS.
SECTIO PRIMA
DE SIGNIS.

§. I.

CONCEPTVS animi nostri, sive cogitationes, & repræsentationes, quibus mens sibi ipsi aliquid repræsentat, nemini notæ sunt, nisi Deo omniscio, nobis ipsis, & cui Deus, vel nos ipsi manifestare volumus. Deus & nos ipsi im-

mediate inſpicimus has cogitationes, aliis autem manifeſtantur per ſigna, & ita mediate.

§. 2.

Eſt autem ſignum, quod præter cognitionem ſui deducit in cognitionem alterius. Signum eſt 1) vel *res per ſe ſubſiſtens*, v. g. patibulum eſt ſignum criminalis jurisdictionis ei competentis, in cujus territorio eſt erectum. Inſtrumenta dotalia ſunt ſignum matrimonii contracti. Inſtrumentum emptionis eſt ſignum emptionis venditionis contractæ. 2) Vel *factum*, quia facta non minus ſunt efficacia (imo quandoque efficaciora) ad ſignificandam voluntatem, quam verba *L. 32. π. de LL. L. 48. §. 3. π. de ædil. edict.* Sic ſi teſtator pronunciet teſtamentum ſuum rite factum valere non debere, propterea teſtamentum non infirmatur, ſed ſi id deleat animo infirmandi, ut inteſtatus decedat, tollitur ipſo jure *Zœſ. ad tit. π. de his, quæ in teſtam. del.* ita ut nec legata debeantur *Zœſ. alleg. loc. n. 3. in fin.* vid. *Arnol. Vinn. ad §. 7. n. 1. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.* De cætero, facta, quantum pondus ad ſignificandam voluntatem habeant, ſubtili animo cognoſcen-

scendum est ex antecedentibus, consequentibus & circumstantiis, unde colligenda est connexio facti cum animo, quæ connexio maxime colligitur ex causa finali agentis. Vel 3) *vox*, quia voces inuentæ sunt ad significanda ea, quæ in mente habemus, & aliis notificare volumus.

§. 3.

Porro signum est vel naturale, vel ex impositione hominum. Naturale est, quod natura sua aliquid significat, v. g. vox edita significat hominem præsentem, licet ex impositione nihil significet, ut bliteri, musphat, scindapsus. Huc pertinet factum, quo quis alteri rem suam sine justa causa aufert; hoc enim significat animum furandi; factum injuriosum in aliquem commissum; verba injuriosa in aliquem conjecta significant animum injuriandi, & generaliter: dicta vel facta contra leges, vel etiam omissio indicant animum delinquendi, unde recte dicitur: quilibet videtur sentire, & in animo habere, quod dicit, vel facit. Signum ex impositione est, quod per se rem non significat, sed quia homines talem significationem signo dederunt, & imposue-

runt, sive utuntur re aliqua ad aliam significandam, ubi res significans est materiale signi, ipsa vero significatio, sive connexio cum re significanda est formale, semperque est aliquid incorporale, huc pertinet signum patibuli, & omnes voces significativæ.

§. 4.

Quia ergo ea, quæ in animo nostro latent, nobis, & soli Deo nota sunt, aliisque non manifestantur, nisi signis, signa autem ordinaria sunt voces, hinc in vestibulo logicæ tractatur de vocibus. Ubi, NB. quod a vocabulorum cognitione omnis scientia initium capiat. *Henric. Zæs. in proœm. ad π. n. 1.* Horum enim prima cura haberi debet, tum, quod verborum ministerio omnes res intelligantur & veniant explicandæ, tum, quod verbis ex vsus beneficio, uti rebus ex debito utamur, quæ vsu valent, vt nummi, nihil enim quidquam ad cognitionem rerum magis conducibile, quam nominum exploratam habere significationem. Verborum namque neglectus rerum parit incertitudinem. Unde, sicut rerum potior debet esse cognitio, ita & verborum

rum prior debet esse explicatio *Petr. Theodoric. colleg. crim. cap. 1. aph. 1. num. 1.* ubi plura.

SECTIO II.

DE TERMINIS ET VARIA EORVM DIVISIONE.

§. 5.

VOCES istæ significantes dicuntur termini, & notiones. Termini, quia possunt terminare enunciationem sive propositionem (subjectum enim propositionis est terminus a quo, prædicatum terminus ad quem) dicuntur notiones; quia per eas res cognoscuntur, sive noscuntur.

§. 6.

Terminus est vel categorematicus, vel syncategorematicus. Ille est, qui per se est significativus, ut homo, albus, scribit, lego &c. & ex eo potest fieri prædicatum, vel subjectum. Hic est, qui per se nihil significat, sed alii termino additus certum significandi modum tribuit. Non ergo ex eo potest fieri prædicatum vel subjectum, non enim pos-

ſum dicere: homo eſt omnis, vel aliquis. Sic non poſſum dicere homo eſt perfecte, ſed dicere poſſum: homo eſt perfectus, vel perfecte natus. Ad terminos ſyncategorematicos pertinent hæc: omnis, nullus, aliquis. Item omnia adverbia et præpoſitiones, aliæque particulæ. Ubi ſimul intelligere potes, quod adjectiva ſignificent rem aliquam, adverbia autem tantum rei modum. Sic aliud eſt juſta agere, aliud juſte agere, bona ſcribere & bene ſcribere; juſta enim agere poteſt homo injuſtus, qui intentionem habet hominem lædendi, v. g. defunctus (cujus tu heres exiſtis) debebat mihi 20, quod tu ſciebas, ſed te ignorante ſolvit mihi 10. dum peto a te 10, cogitas me errare, atque animo decipiendi ſolvis 10. Hic juſta agis, ſed non juſte, id eſt, non ex animo juſta agendi, & ita es injuſtus. Bona ſcribere poteſt, qui facit peſſimos litterarum ductus, qui autem eos facit ornatos, bene ſcribit. Sic alius eſt partus perfecte natus, alius perfectus natus. Hic eſt, qui omnia membra adeſſe debita habet. Ille, qui totus a matre ſeparatus in lucem prodiit, licet quo ad membra ſit imperfectus.

ctus. Sic ergo perfecte nasci refertur ad modum nascendi.

§. 7.

Deinde termini alii sunt vulgares, alii technici. Illi sunt, qui in communi usu, & omni disciplina eandem habent significationem. Hi in certa disciplina peculiarem habent significationem, quam vulgus non capit. v. g. in logicis *prædicatum, subjectum, genus, species, differentia.* In jurisprudentia civili: *suus heres*, quod non idem est, ac: *heres suus;* nam mater &c. etiam habent *heredem suum*, sed non *suum heredem.* Hic enim est, qui proximum in patria potestate habet gradum tempore mortis paternæ (vel etiam tempore delatæ hereditatis. vid. *Vinn. ad §. 2. ad verb. veluti filius, filia, nepos Inst. de hered. qualit. & diff.*) qualem non habet mater &c. Sic aliud est *bonorum possessio*, aliud *possessio bonorum.* Illa est *jus persequendi retinendique patrimonii, quod cujusque, cum moritur, fuit, a prætore concessum.* Hæc significat *rei insistentiam*, sive actualem, sive potentialem, quando scilicet quis possessionem retinet animo cum facultate insistendi. Talis terminus technicus quoque est vox: deponere, signifi-

cat enim in jurisprudentia rem alterius fidei & custodiæ committere, nec derivatio a voce *ponere* quidquam facit; nam vox: *ponere*, est angustior voce: *deponere*. Vox: *posteri*, est terminus technicus, licet enim grammatice significet descendentes ex masculis & feminis, technice tamen proprie designat descendentes per masculos. Hinc immunitas data pro aliquo & ejus posteris, competit tantum descendentibus per masculos, cum privilegium & concessio immunitatis sit strictæ interpretationis. Secus ergo est in materia latæ interpretationis. Huc referenda est vox *petitionis* ex *L. 178. π. de verb. signif.* per quam indicantur actiones reales, unde in jurisprudentia per judicium petitorium indicatur id, in quo de re & ejus jure agitur.

§. 8.

Ulterius terminus est dispescendus in univocum, æquivocum, & quasi medium inter utrumque, qui analogus dicitur. Univocus est vox, quæ multis convenit, & res, siue ratio per eam significata in omnibus perfecte est eadem v. g. vox: *homo*, dicitur de omnibus homini-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0028
DFG

minibus, & res per vocem significata, scilicet humana natura in omnibus est eadem sive in rustico, sive in nobili. Talis vox est pater naturalis, item pactum, quod inuenitur in omnibus conuentionibus de aliquo præstando. Terminus æquivocus est vox communis pluribus, & res per eam significata est diversa. v. g. Pupilla significat 1) fœmellam sui juris sub tutoris potestate constitutam. 2) Pupillam oculi *den Augapffel.* Pignus 1) significat contractum pignoris, 2) jus in re constitutum in securitatem debiti, 3) rem oppignoratam. Item emphyteusis tria significat. Item feudum significat contractum feudalem, jus in re, & ipsam rem in feudum datam. Item depositum significat rem depositam, & contractum depositi. Apud antiquos germanos ex parte mariti dotabatur uxor, id est, instruebatur bonis, jure romano & hodiernis moribus ex parte uxoris dos datur marito ad sustinenda matrimonii onera. Est ergo *dos* vox æquivoca, non enim antiqui germani dabant dotem uxori ad sustinenda matrimonii onera. Res ergo per vocem significata est diversa. Sic etiam dicitur dos prædii, per

quam intelliguntur instrumenta prædii. Ita quoque actio directa est æquivoca, significat enim 1) actionem directo ex verbis legis descendentem, & sic opponitur utili. 2) Quæ ex obligatione principali directo descendit, & opponitur contrariæ, quæ adversæ parti quasi contrarie datur, & descendit ex obligatione secundaria & minus principali, sive ex postfacto per accidens orta, dum scilicet aliquid accidit, quod principalem obligationem habentem vicissim obligat, v. g. dum quid impenditur. Item actio directa significat eam quæ opponitur noxali. Item, qui ex causa stricti juris certo in loco solvere debet, in isto loco destinato & convento convenitur actione directa, in loco vero domicilii actione de eo, quod certo loco. Privilegium reale est vox æquivoca, significat enim primo id, quod rei datur. 2) Quod transit ad heredes, utpote si per contractum onerosum concessum sit. Actio quotupliciter accipiatur, vid. *compend. Lauterb. ad π. tit. de oblig. & act.* Porro, quarta falcidia est terminus æquivocus, significat enim quartam; quæ a legatis deducitur, & quæ a fideicommissis universer-

versalibus detrahitur, legitimam quoque liberis debitam indigitat. Quanquam autem aliqua levis convenientia, imo notabilior, inter æquivoca occurrat, eam curandam non esse arbitror, mihi enim sufficit (quo ad subsidium Jurisprudentiæ) quod res significatæ in essentia non conveniant. Unde apparet, quod, quia æquivoca in essentia rei significatæ non conveniunt, & definitio est essentiæ rei explicatio, non possint una definitione definiri. Et quia contradictio est affirmatio & negatio ejusdem de eodem, secundum idem, quo ad rem, quo ad partem & totum, atque secundum easdem circumstantias, eundem respectum & intellectum, super æquivocis non stat contradictio. De cætero æquivocatio etiam reperitur in verbis v. g. expedire significat: dissolvere; significat etiam exercere, peragere, utpote jurisdictionem expedire, id est, exercere. vid. *Hahn. ad Wesenbec. tit. de jurisdict. n. 7. ad verb. quæ officio judicis nobili.*

§. 9.

Terminus analogus est vox communis pluribus, quæ, licet diversa sint, notabiliorem tamen habent convenientiam,

die

die haben eine Aehnlichkeit mit einander. Et habent 1) analogiam proportionis ſive metaphoræ atque ſimilitudinis. Ubi probe inveſtigandum eſt tertium comparationis, ſive ratio in qua duo diverſa conveniunt. Ita Inſtitutiones imperiales Juſtinianeæ *in §. 5. Inſtit. proœmii* dicuntur elementa (idem eſt de aliarum diſciplinarum Inſtitutionibus) ad ſimilitudinem cum elementis naturalibus. Tertium comparationis ſive convenientiæ eſt ratio principii; quemadmodum enim elementa naturalia ſunt prima principia corporis naturalis mixti, ita dictæ inſtitutiones ſunt prima principia Iurisprudentiæ civilis. Jus in re, eſt vox analoga, ſicut enim qualitates phyſicæ rei, ſive ſubſtantiæ inhærent, eamque afficiunt, ita hoc jus rei inhæret, eamque moraliter & juridice afficit, unde jura in re dicuntur qualitates (ſcilicet morales & juridicæ) rerum. Privilegia rebus & actionibus cohærentia dicuntur ſingulares qualitates rerum & actionum. Hinc a *Carpz. part. 2. conſt. 41. def. 15.* recte comparantur ſervitutibus realibus. Vox filiifam. eſt analoga reſpectu naturalis & adoptivi. Tertium comparationis eſt

in

in hoc: quemadmodum pater naturalis filium procreat per veram generationem, ita arrogator per ritum arrogationis quasi generat filium adoptivum, & hic quasi agnascitur patri adoptivo & ejus liberis. Et aliæ infinitæ sunt metaphoræ in jure nostro, imo omnia jura sunt entia metaphorica. Ipsa quoque *obligatio* est vox talis, significat enim obligationem physicam & juridicam. Illa est, quæ vinculis physicis constringit ita, ut ligatus effugere nequeat, nisi vinculo hoc dissoluto. Hæc est, quæ vinculis moralibus & juridicis adstringit. Huc pertinet vox: *Judex*, quæ ei, qui habet publicam potestatem causas controversas cognoscendi & decidendi convenit, competit etiam arbitro a partibus electo &c. &c.

§. 10.

2) Habent analogiam attributionis, & vel intrinsecæ vel extrinsecæ. Analogiam attributionis intrinsecæ habent ea, quorum vox est communis multis, sed res, vel ratio per vocem significata quidem eadem inest omnibus, sed uni perfectius, quam alteri. v. g. territorium com-

competit ſtatibus imperii, ſed nihilo ſecius competit etiam magiſtratibus aliis. *l. fin. π. de jurisdict.* illis tamen eminentius. Iurisdictio competit ſummo principi, & aliis magiſtratibus, quibus ratio jurisdictionis ineſt, ſed illi multo perfectius, & (ut dici ſolet) eminenter, his non tam perfecte, ſed in gradu remiſſiori. Inſtrumentum acceptum pro eo, quod cauſam inſtruit, ſignificat teſtes & documenta literaria, privata & publica; Et hæc per excellentiam ſunt inſtrumenta, & perfectiſſime probant, quanquam ratio inſtruendi etiam reliquis inſit. Huc pertinet procurator; quæ vox convenit procuratori in rem alienam & in rem ſuam. Illi proprie & perfecte, huic improprie & imperfecte, interim tamen ratio per vocem ſignificata utrique ineſt; quia uterque nomine alieno agit. Magiſtratus eſt vox communis ſignificans ſummum, medium & infimum, etiam in ordinarii defuncti locum ſuffectum, ratio quoque per vocem ſignificata omnibus vere ineſt, ſed non in eadem perfectione, hinc in *l. 7. §. 2. π. de offic. proconſul.* dicitur proconſul pleniſſimam jurisdictionem habere, & majus imperium

poſt

post principem *l. 8. ibid.* Dominium significat plenum & minus plenum. Ratio dominii vere utrique inest, neque minus plenum dicitur per extrinsecam denominationem. Proprietas quoque est vox analoga, quæ competit ei, qui plenum & minus plenum dominium habet; Illi perfectius, huic minus perfecte. Hinc quando actor in libello ponit se proprietarium, & probat dominium utile, sententiam obtinet *B. Ioh. Brunnem. ad l. 27. π. quib. mod. usufr. finit.* Vox *liberi*, est analoga competens filiis, filiabus, & nepotibus; Illis perfectius, quam his. Hinc quando liberi fideicommisso sunt honorati, continentur nepotes, quando sunt onerati, non continentur; quia hoc onus est stricte interpretandum. Quo referre debeam vocem: *majestas?* hæreo; nam si considerem tanquam amplitudinem potestatis (atque ita late) pertinet ad analogiam attributionis intrinsecæ, & principi competit in gradu eminenti, prætori in gradu inferiori *l. penult. π. de justit. & jur.* Si autem definiam majestatem, quod sit summa in republica potestas, prætori plane non competit. Quando dictam vocem considero respe-

ctu

ctu utriusque significati, habeo potius pro æquivoca, quam analoga.

§. 11.

Ubi nota, quod quædam talia analoga magis accedant ad univoca, quædam magis ad æquivoca, quædam medium locum inter utraque teneant, quæ dijudicare relinquo cujusvis judicio.

§. 12.

Nota 2) quod vox analoga per se (id est, sine addita alia voce, vel alio signo determinante) sumpta accipiatur pro famosiori significato. Sic probatio significat probationem perfectam per testes & instrumenta, & imperfectam, quæ fit per juramenti delationem. Si ergo Judex pronunciet, actorem probare debere, non admittitur probatio per delationem juramenti, utpote quæ est probatio admodum imperfecta. Itaque probatio simpliciter imposita (idem est judicium de probatione per conventionem suscepta) intelligenda est de ea, quæ fit per documenta vel testes *Berg. Oecon. jur. lib. 4. tit. 25. not. 1.* Sic falsum testimonium ferens est puniendus, quod intelligitur de testimonio solenni & judiciali *Petr. Theo-*

Theodoric. colleg. crim. cap. 8. aph. 2. n. 21. quia hoc in famosiori significato est testimonium. Vox: *dolus* significat dolum bonum & malum, hunc principaliter, illum secundario. Dum ergo simpliciter ponitur vox: *doli*, intelligitur de malo. Idem est judicium de voce: substitutionis quæ principaliter significat substitutionem directam, secundario, fideicommissariam.

§. 13.

Vox analoga analogiæ attributionis extrinsecæ est, quæ pluribus competit, uni intrinsece & formaliter, alteri extrinsece, & per quandam relationem & respectum ad primarium illud, quod scilicet intrinsece & formaliter tale est. Huc pertinet, quando nomen causæ tribuitur effectui, vel nomen effectus tribuitur causæ. Nomen adjuncti tribuitur subjecto, vel nomen subjecti adjuncto. Vel nomen totius tribuitur parti, vel nomen partis toti. Item nomen continentis contento, nomen contenti continenti. Item nomen signi signato. (quibus casibus dicitur metonymia) Exemplis rem declaremus. §. 2. *Instit. de jur. person.* dicitur servitus *constitutio juris gentium, qua quis dominio alie-*

no contra naturam subjicitur. Ubi constitutio tanquam causa quasi status servilis, accipitur ad significandum statum servilem. *Princip. Instit. de justit. & jur.* dicitur justitia *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Ubi voluntas tanquam causa justitiæ, sive habitus inclinantis ad justa agenda & volenda accipitur ad significandum habitum istum tanquam effectum. Destinato autem consilio veteres id fecerunt, ut scilicet indicarent, justitiam debere procedere ex proæresi (ubi nota, quod ipsa justitia sit vox analoga. A) Significat habitum, de quo diximus. B) Actum justum dependentem ab habitu tanquam causa, ubi ipse actus est materiale, conformitas cum legibus ex proæresi facta, formale) *L. 24. π. de verb. signif.* dicitur, quod *hereditas sit successio in universum jus, quod defunctus habuit.* Ubi nomen causæ accipitur pro effectu. Successio, sive susceptio est causa hereditatis, sive juris hereditarii quæsiti. Accipitur autem hic hereditas pro jure hereditario ex quo oritur hereditatis petitio. Alias etiam hereditas pro toto collectivo rerum corporalium & incorporalium ad defunctum

ctum pertinentium accipitur; hoc modo materialiter, priori formaliter accipitur, & est jus in toto collectivo quæsitum heredi. In *L. 19. & 23. π. ex quib. caus. maj. &c.* possessio accipitur pro usucapione; scilicet nomen causæ pro effectu; quin possessio est causa usucapionis. *Thesaurus* dicitur vetus depositio, pro re depositа,

Nomen effectus tribuitur causæ. Sic dicuntur verborum obligationes in inscriptione *tit. Instit. & π. de verb. oblig.* pro contractibus verbalibus. *De literarum obligationibus*, pro contractibus litteralibus.

Nomen adjuncti tribuitur subjecto, quando per auream bullam significatur illud instrumentum, sive litterarium documentum, quo continentur privilegia sive jura Electorum imperii, cui instrumento appensum est aureum sigillum per modum bullæ *Carpz. in leg. reg. germ. cap. 3. Sect. 2. n. 4. seqq.* Sic jus prætorium & ædilitium dicitur honorarium ab adjunctis prætori & ædilibus, honoribus. Ita homo criminosus dicitur crimen *Henr. Zœs. ad tit. π. de custod. & exhibit. reor. n. 9.*

Nomen totius adhibetur ad significandam partem, præsertim præcipuam. Ita imperator in *L. 9. π. ad L. Rhod. de jact.* dicitur mundi dominus. Intellige præcipuæ partis mundi, qualis tum temporis erat imperium romanum.

Nomen partis assumitur ad significandum totum. Sic in *L. 3. π. de jurisdic.* merum imperium dicitur potestas gladii ad animadvertendum in facinorosos homines. Ubi per potestatem gladii, tanquam præcipuam partem criminalis animadversionis significantur reliquæ pœnæ & pœnarum gradus.

Nomen continentis ad indicandum contentum adhibetur, quando dicitur juramentum in litem; per litem enim intelligitur res in litem deducta. Sic quoque quando dicitur venter in possessionem bonorum defuncti mitti, per ventrem intelligitur partus in ventre existens, vel, si mavis dicere, venter sive mater mittitur nomine ejus, qui in ventre est, Respondeo, sic tamen mittitur partus in ventre existens per matrem. Sic in *L. 6. π. de offic. proconf.* custodia accipitur pro personis custoditis, cum principaliter significet locum, in quo perso-

næ

næ delinquentes custodiuntur, & per relationem ad istum locum, quo coërcentur, dicuntur personæ custoditæ, custodiæ. Eodem modo ergastula significant personas in ergastulis detentas.

Nomen contenti adsumitur ad significandum continens, ita, quia in ædibus sacris colliguntur fideles cultus divini causa (quæ congregatio fidelium proprie dicitur ecclesia) idcirco dictæ ædes dicuntur ecclesia.

Nomen signi repræsentat signatum, sic per instrumentum dotale in *L. 65. π. de judic.* indicantur pacta dotalia. In *§. 13. Instit. de nupt. & §. 2. Instit. de Succeſſ. ab inteſtat.* significatur matrimonium. vid. *Berg. Oecon. jur. lib. 1. tit. 3. th. 13. not. 4.* qui ex hoc principio statuit nec civili, nec hodierno jure ad liberorum legitimationem requiri dotalia instrumenta. vid. idem resolut. *Lauterb. lib. 1. tit. 6. q. 7.*

SECTIO III.

DE TERMINO ABSTRACTO ET CONCRETO ET DE IPSA ABSTRACTIONE.

§. 14.

DEINDE terminus alius est concretus

alius abstractus. Concretus a concresco dictus, est, qui per unum complexum significat subjectum cum adjuncto, vel subjectum cum forma (ubi subjectum dicitur materiale, forma formale) v. g. homo liber. Ubi homo est subjectum, libertas adjunctum, unde etiam homo liber dicitur; nam quælibet forma suo subjecto suam tribuit denominationem, unde etiam terminus concretus dicitur denominativus. Sic tutor significat personam, & tutelam. Dominus, simul & per unam complexionem significat personam & dominium, estque persona habens dominium. Et tales termini infiniti sunt obvii.

§. 15.

Quia ergo forma subjecto suo tribuit denominationem, hinc nota, quod subjectum sit commune vel proprium. Subjectum denominationis commune est, cui forma denominans immediate non inhæret. Proprium est, cui dicta forma immediate inest, quodque forma immediate denominat, & mediante subjecto proprio denominat illud commune, quod totum quoddam est. v. g. Intellectus (cui immediate inhæret jurisprudentia) dicitur iuris prudens, & per hunc homo talis dici-

dicitur. Imperium gallicanum habet majestatem, sed majestas immediate inhæret regi. Rex ergo per denominationem immediatam dicitur habere majestatem, totum regnum eandem habere dicitur per denominationem mediatam. Imperium romano germanicum sine dubio habet majestatem. Sed quod est subiectum immediatum? an imperator, an conventus statuum imperii incluso imperatore? puto defendi posse, eam soli inhærere imperatori, quamvis exercitium ejus sit limitatum. Sed de hoc alio loco.

§. 16.

Terminus abstractus est, qui habet simplicem (non compositum, ut concreta) significandi modum, v. g. quando forma in subjecto existens per se, & sine subjecto, aliisque in subjecto cohærentibus consideratur, utpote si consideretur tutela non considerata persona, cui inhæret. Libertas non cogitato homine, cui a parte rei inest.

§. 17.

Ubi advertendum, quod in una eademque re intellectus noster inveniat diversas qualitates, vel alias rationes operativas (vel passivas) v. g. in pomo in-

venit per ſenſus ſaporem, odorem, colorem &c. Item in ſuppoſito morali ſive juridico invenit qualitatem doctoralem; notariatus publici, conſiliarii, Iudicis &c. ſecundum has diverſas qualitates ſuppoſitum ſive perſona diverſos producit effectus (imo etiam diverſas ſuſtinet perſonas) ſic doctor ſecundum qualitatem doctoralem, vel vi ejus, producit effectum interpretationis & applicationis legum ad facta, vi qualitatis notariatus producit effectum inſtrumenti publici; vi qualitatis judicis effectum ſententiæ. Item una perſona eſt tutor & advocatus, vel ſutor, vi qualitatis tutoriæ adminiſtrat bona pupilli, vi qualitatis advocatoriæ facit libellos, conteſtatur litem &c. Item una perſona eſt imperator, Rex Hungariæ, rex Bohemiæ, Archidux Auſtriæ, Comes Tirolis &c. vi harum qualitatum operatur, ſecundum autem quam qualitatem operetur, exprimi, vel ex ſubjecta materia colligi debet, v. g. ſi tutor contrahat *im Nahmen ſeines Pflegebefohlenen.* Qualitatem vi cujus effectus producitur, ſolemus notare per particulas: *ut*, *qua*, *quatalis*, *quatenus*, v. g. doctor, & Notarius, vel qua notarius conficit inſtrumenta

ta

ta publica. vid. §. 149. & §. 173. Si quis scriberet: ego Titius ut doctor juris facio instrumentum publicum, non valeret. Si diceret: ego Carolus, ut Rex Hungariæ impero Germanis, nemo Germanorum obedire teneretur. Sic si tutori, qui simul est advocatus, & in difficilis locis pupilli debita exegit judicialiter, salarium ab initio susceptæ tutelæ esset promissum, & soluta ipsi sint viatica, vecturæ, & honoraria advocatorum, adhuc salarium petere posset, quia honorarium accepit ut advocatus, viatica, ut inter faciens, salarium accipit pro oneroso munere tutelæ tanquam recreationem, quod salarium in quibusdam locis statutum ipsi addicit. Ita quoque proximus agnatus tutor pupilli, qua tutor non tenetur pauperem pupillum alere, aliud est, si quæratur, an non ut agnatus ad id obligetur?

Ubi (licet videatur extra orbitam) notet studiosus juris, quod, quia diversæ qualitates, morales in una persona concurrentes diversas personas morales constituunt ita, ut una persona moraliter sit multiplex, si quis obligetur intuitu alicujus qualitatis, deposita legitime ea qualitate non amplius obligetur.

§. 18.

Ex his facile intelligi potest, quid sit abstractio (& terminus abstractus) quod scilicet sit consideratio unius sine alio conjuncto in uno subjecto & a parte rei. Et hæc abstractio est fundamentum universalitatis. Nam quia deprehendimus in uno individuo v. g. humano ut Petro diversas rationes, utpote rationalitatem, animalitatem, sive sensibilitatem vel potius sensitivitatem, & vegetabilitatem &c. quarum quædam solis & omnibus individuis humanis in solidum competunt, ut rationalitas. Quædam sunt communes hominibus & animantibus brutis, ut sensatio & sensitivitas. Quædam sunt communia hominibus, brutis, herbis & arboribus, ut corpus animatum, sive vivens. Hinc abstrahimus rationalitatem, animalitatem, vivens, sive vitam &c. Ex rationalitate & animalitate, vel animali & rationali coalescit animal rationale, sive homo. Ex vivente & sensatione oritur vivens sensitivum, sive animal. Ex corpore & vegetativitate oritur vivens. Unde est abstractum homo, animal, vivens, corpus. Nunc juxta diversas rationes prædictas in homine repertas diver-

versimode homo operatur, per rationalitatem discurrit, per animalitatem sentit, per vitam vegetatur & crescit. (Unde hactenus solitus sum dicere de homine potationibus & voracitati dedito, quod magis curet animal, quam rationale) ecce in hoc ordine abstracta & concreta. Sic quoque hæc emptio venditio, cum Titio, Cajo, Sempronio &c. de re aliqua certa pro certo precio inita, sunt individua, unde abstraho emptionem venditionem, quæ perficitur solo consensu, quod etiam invenitur in locatione, societate & mandato, unde est abstractum contractus consensualis. Reperio quoque certum nomen, quod invenitur etiam in contractibus realibus, mutuo &c. contractibus literalibus, & verbalibus, unde est abstractum contractus nominati. Invenio etiam, quod fiat consensu vero, quod etiam convenit contractibus innominatis, unde est abstractum contractus veri. Deprehendo quoque in istis omnibus rationem contractus. Tandem obvium est, quod in omnibus contractibus inveniatur duorum vel plurium in idem placitum consensus, sive conventio de aliquo præstando, quod est pactum.

Quid

Quid ergo est, quod pactum distinguatur a contractu? Resp. pactum in specie ita dictum distinguitur a contractu, sed non pactum generaliter sumptum. Cum ergo dictæ rationes communes, sive superiores insint minus communibus, sive inferioribus, patet argumentum, quod soriten vocant. Sic enim procedo: emptio venditio est contractus consensualis. Contractus consensualis est nominatus. Contractus nominatus est verus. Contractus verus est pactum, ergo emtio venditio est pactum.

SECTIO IV.

DE RELIQVIS TERMINORVM DIVISIONIBVS.

§. 19.

Non prætereundum est, quod terminus alius sit mentalis, alius oralis, sive externe prolatus ore, vel scripto. Mentalis est, qui mente concipitur. Oralis est, qui ore profertur, vel scripto exprimitur. Quæ divisio scitu necessaria est ad cognoscendum, quod in propositione sit subjectum, quod prædicatum; Nam sæpe quo ad situm externum, subjectum

jectum ponitur postremo & prædicati loco. vid infra §. 125. in med.

§. 20.

Ulterius terminus est universalis & singularis. Ille est, cujus tota significatio pluribus communis est, & de illis omnibus & singulis separatim tota dici potest. Et quando ita prædicatur, dicitur accipi in suppositione distributiva, vel, dicitur accipi distributive. v. g. jus in re, est terminus universalis. Ubi possum dicere: dominium est jus in re, servitus (rerum) est jus in re; hypotheca est jus in re; hereditas (jus hereditarium) est jus in re. vid. §. 133.

Terminus singularis est, qui unam numero rem significat. Ut hic homo, Petrus, Paulus. Hæc emptio venditio cum Titio de fundo Tusculano pro certo pretio inita; ususfructus Titio in fundo Tusculano concessus &c.

§. 21.

Alia divisione terminus est positivus, vel negativus. Positivus significat rem aliquam existentem, ut dominium, hypotheca, contractus, contrahens &c. negativus significat absentiam rei, formæ, vel qualitatis physicæ vel moralis. Ubi

nota,

nota, negationem proprie dictam esse absentiam a subjecto non capace. e. g. res nullius, respectu rerum sacrarum, religiosarum, & sanctarum &c. est terminus negativus; quia significat absentiam formæ vel qualitatis, scilicet dominii, cujus res istæ non sunt capaces. Respectu ferarum bestiarum est terminus privativus; quia significat absentiam qualitatis a subjecto capace. Ita vox intestatus respectu pupilli est terminus negativus; quia pupillus non est capax testamenti faciendi. Respectu ejus, qui testamentum facere potest, sed non fecit, est privativus. Excusatio tutorum (proprie dicta) rescissio contractus sunt termini privativi.

§. 22.

Denique termini, si inter se conferantur, sunt consentanei, vel dissentanei, sive repugnantes, sive disparati in specie. Illi sunt, qui ita conveniunt, ut de se invicem affirmari possint. Et sunt consentanei vel in abstracto, sive ratione essentiæ, ut dominium est jus in re; testamentum est ultima voluntas; tutela est potestas. Vel ratione subjecti, sive suppositi, quando scilicet diversæ qualitates in uno subjecto compatibiles con-

cur-

currunt, ut qualitas notariatus & doctoratus, consiliarii & judicis; qualitas medici & judicis; qualitas tutoris & advocati vid. §. 17. ubi in concreto dicere possum: medicus est judex; tutor est advocatus; doctor est notarius; consiliarius judex. Sed non possum dicere: ars medica est qualitas judicis; doctoratus est notariatus &c.; ista enim essentialiter & in abstracto sunt diversa. Unde apparere potest, qui termini sint dissentanei, sive ratione essentiæ, sive in abstracto, sive ratione subjecti; sicut enim qualitates essentialiter diversæ, non tamen repugnantes, in eodem subjecto concurrentes de se invicem in concreto prædicari possunt, ita in abstracto de se negari debent. Quando vero qualitates vel aliæ rationes repugnantes sunt, ita, ut in eodem subjecto stare simul non possint, ut emptor & venditor; actor & reus; debitor & creditor eodem respectu, sunt dissentaneæ ratione essentiæ & in abstracto, & simul etiam ratione subjecti sive suppositi. Termini disparati in specie sunt, qui sibi invicem opponuntur, sed sine pugna, ut mercator & miles; homo & brutum.

CAPVT

CAPVT II.

DE PRAEDICABILIBVS.

§. 23.

TERMINVS alter de altero prædicari potest, vel non, ut ex hactenus dictis patet, unde dicitur prædicabilis. Est autem prædicabilis vel essentialiter, vel extraessentialiter sive accidentaliter. Prædicabile essentiale est; quod ita de subjecto prædicari potest, ut sit de hujus essentia, id est, quod hoc sine illo nec esse, nec concipi possit. Vel, quod in definitione hujus in casu recto includitur sive expresse, sive implicite. Hinc sicut in definitione hominis hac: *animal rationale*, includitur vivens, corpus, substantia, ita in definitione emptionis venditionis hac: contractus consensualis de re pro certo precio tradenda, includitur contractus nominatus; contractus verus, & pactum. Istud prædicabile est triplex: genus, species, differentia. Prædicabile extraessentiale, sive accidentale generaliter sumptum est proprium & accidens specialiter sumptum.

SECTIO

SECTIO I.

DE GENERE, SPECIE ET DIFFERENTIA.

§. 24.

GENVS est, quod de pluribus specie differentibus prædicari potest in quid, sive quid sit. v. g. contractus consensualis est genus respectu emptionis vend. locat. conduct. societatis mandati. Contractus realis respectu mutui, commodati, depositi, pignoris, de quibus praedicatur in quid & essentialiter. Sunt ergo dicti contractus species contractus consensualis, & realis. Huc pertinet jus in re, quod est genus respectu dominii, servitutis &c. tutela, amicabilis compositio, sunt genera.

§. 25.

Ubi nota, quod in genere sit plus, quam in specie. Sed in illo est plus potentia, sive ratione aptitudinis; quia est unum aptum inesse multis, inque iis multiplicabile; quia pluribus speciebus inest, deque iis prædicari potest. De cetero in specie est plus quam in genere, ratione differentiæ, quam præter genus includit,

dit, cum ex genere & differentia coaleſcat ſpecies. Et hæc differentia eſt pars metaphyſica ſpeciei, contrahitque genus ad certam ſpeciem (exemplum ex jurisprudentia deſumptum eſt in generali hypotheca omnium bonorum mobilium & immobilium, quæ non pertinet ad nomina) & ratione hujus differentiæ formaliter acceptæ in ſpecie eſt plus, quam in genere.

§. 26.

Genus eſt vel proximum, vel ſummum, vel intermedium ſive ſubalternum. Genus proximum eſt, quod de pluribus ſpecie differentibus immediate prædicatur, id eſt, ita prædicatur, ut non intercedat aliud genus. Exemplum eſt datum in contractu conſenſuali reſpectu emptionis, locationis, ſocietatis, mandati, contractus emphyteutici. Genus ſummum eſt, quo ſuperius non datur, ſcilicet in eodem genere entium. Genus intermedium eſt, quod etiam ſubalternum dicitur, quod prædicatur de pluribus genere (potius ſpecie ſubalterna, reſpectu generis ſuperioris) differentibus. Et genera intermedia plura dari poſſunt. Exempla de genere intermedio ſunt: contra-

tractus nominatus; contractus verus (quod est genus superius respectu contractus nominati) item tale genus est contractus; pactum vestitum. Pactum vero est genus summum, scilicet in genere conventionum.

§. 27.

Differentia est, quæ prædicatur de pluribus specie vel numero differentibus in quale quid, id est; per modum adjectivi, ut loquuntur, sed essentialiter. Ego dico: differentia est ea ratio, per quam una species differt ab altera specie, & per eam species formaliter constituitur. Sic emptio venditio per hanc rationem specialem: *de re pro certo pretio tradenda*, differt a locatione &c. A ratione communi pluribus speciebus desumitur genus. Et ab ea ratione, in qua diversæ species immediate conveniunt, desumitur genus proximum. Ex isto genere, sive ratione generali & speciali componitur (ratione nostra) species. Dico ratione nostra, nam a parte rei, & extra operationem intellectus nostri, nulla est distinctio inter genus & differentiam. v. g. animal & rationale. Modus ergo inquirendi differentiam speciem & genus

est hic: inquiro rationem specialem, in qua conveniunt plura numero differentia, quæ ratio non invenitur in aliis alterius speciei individuis, & sic habeo differentiam infimam. Deinde inquiro rationem generalem, sive communem cum aliis speciebus, sive in qua solæ diversæ species infimæ conveniunt. Et sic habeo genus infimum, v. g. contractus consensualis est ratio communis emptionis vend. locationis conduct. societatis, mandati; ergo contractus consensualis est genus, quod vero fiat de re pro certo precio tradenda, est differentia &c. Ulterius investigo, an ratio aliqua sit adhuc generalior, sive communis pluribus generibus (respectu inferiorum) sive speciebus subalternis (respectu scil. superiorum) v. g. contractuum, & invenio, quod quidam constent certa contrahendi forma, sive modo, quidam non, & sic habeo contractus nominatos, scilicet realem, verbalem, literalem, consensualem. Contractus ergo nominatus est genus intermedium, sive subalternum. Ulteriorem & magis communem rationem investigando reperio; quod omnes contractus vere tales fiant vero consen-

su,

ſu, & ſic habeo contractum verum. Ubi iterum eſt genus intermedium. Et ſic ulterius progredior usque ad genus ſummum, quod eſt pactum. Ubi advertis, quod ſemper ſpecies ſubjectæ generi dividant genus, & dicantur diviſivæ, quæ tamen dicuntur genera, reſpectu ſcilicet inferiorum.

§. 28.

Quia ergo definitio rerum conſtat genere proximo (reſpectu definiti) & differentia ſpecifica, ex his facile patet, quomodo concinnanda ſit definitio, (patet quoque quomodo conficienda diviſio) Deſumitur autem differentia ex variis principiis, ſcilicet a forma, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca; Subjecto; objecto; cauſa efficiente; finali, pro ratione rei definiendæ, v. g. tutela dividitur in teſtamentariam; legitimam & dativam. Teſtamentaria a cauſa efficiente definitur, quod ſit ea, quæ teſtamento defertur lege permittente. Legitima tutela eſt, quæ defertur immediate a lege. Hæc dividitur a ſubjecto in agnatorum; patronorum; parentum; & fiduciariam. Agnatorum ergo tutela a ſubjecto definitur, quod ſit ea, quæ defertur a lege

agnatis. Patronorum, quæ defertur a lege patronis &c. ubi differentia ſpecifica deſumitur a ſubjecto. A forma intrinſeca deſumitur differentia ſpecifica. Sic teſtamentum eſt deſignatio ſucceſſoris in univerſum jus defuncti. Teſtamentum paternum eſt, in quo liberi ſui heredes inſtituuntur, vel nominatim exheredantur addita cauſa in *nov. 115. cap. 3.* expreſſa. A forma extrinſeca, teſtamentum ſolenne eſt, in quo obſervantur ſolennitates jure præſcriptæ. A cauſa efficiente petitur differentia, v. g. Lex eſt, quod (ſubintellige jus) populus romanus ſenatorio magiſtratu interrogante conſtituit. A fine arceſſitur differentia, v. g. modus legatis adjectus eſt adjectio indicans, quid legatarius poſt acceptum legatum facere debeat. Dies eſt adjectio differens ſolutionem ad certum tempus. Demonſtratio eſt adjectio, quæ præter nomen rei deſignandæ gratia adhibetur. Quandoque ad differentiam ſpecificam conſtituendam ſimul concurrunt objectum & forma, v. g. arrogatio eſt aſſumptio hominis ſui juris in familiam per reſcriptum principis.

§. 29.

§. 29.

Non est prætereundum, quod genus aliud sit analogicum, aliud univocum. Univocum (de quo hactenus) est, cujus ratio eadem perfecte in inferioribus invenitur. Analogicum est, quod uni speciei proprie, alteri improprie & per analogiam quandam competit. v. g. contractus, respectu veri & quasi contractus. Instrumentum publicum respectu ejus, quod a publica persona confectum, & respectu ejus, quod privatim confectum, sed trium testium habet subscriptionem.

§. 30.

De differentia adhuc nota 1) quod alia sit specifica, de qua ante actum, alia generica, qua diversæ species sub genere remoto comprehensæ a se invicem distinguuntur & differunt. Sic contractus nominati species sunt hæ: Realis, verbalis, literalis, consensualis. Differentia generica contractus realis est, quod perficiatur rei interventu. Verbalis, quod perficiatur verbis. Literalis, quod perficiatur literis. Consensualis, quod perficiatur consensu solo. Sed etiam hæc differentia potest dici specifica respectu speciei

ſubalternæ; quia non inepte quæritur, quæ ſit differentia ſpecifica contractus realis, vel conſenſualis &c. Reſpondeo enim, illius eſt, quod fiat non ſolo conſenſu, ſed etiam rei interventu. Hujus, quod fiat ſolo conſenſu.

§. 31.

Nota 2) quod differentiæ munus ſit diſtinguere, ſed præcipuum munus ſit conſtituere ſpeciem.

§. 32.

Nota 3) quod dicitur: differentiam cum genere componere ſpeciem, eſſe intelligendum: ratione noſtra, nam a parte rei, & ſine operatione mentis noſtræ ſunt idem, & differentia adæquate eſt ſpecies.

§. 33.

Nota 4) a ſpecie (& generatim ab omnibus inferioribus ad ſuperiora; quia ſuperiora inſunt inferioribus) ad genus valere argumentum affirmative. v. g. in foro eſt homo, ergo animal (intellige: aliquod) ſed non valere negative. e. g. in foro non eſt homo, ergo nec animal. A genere ad unam ſpeciem non valere argumentum affirmative. e. g. in foro eſt animal

animal ergo homo, (valet tamen ad omnes ſpecies disjunctive enumeratas, ſic: ergo vel homo, vel brutum. Eſt contractus conſenſualis, ergo vel emptio vel locatio, vel mandatum, vel ſocietas, vel emphyteuſis) valere tamen negative, e. g. in foro non eſt animal, ergo nec homo.

§. 34.

Nota 5) quidquid de genere realiter, ſeu materialiter & univerſaliter prædicatur, etiam de omnibus ſpeciebus, & ſub genere contentis prædicatur. e. g. omnis dominus liber poteſt oppignorare res ſuas, ergo etiam dominus partialis liber, poteſt oppignorare partem ſuam. Quidquid de genere univerſaliter negatur negatur etiam de inferioribus, e. g. nulla alienatio pupillo eſt conceſſa (ſine tutore) ergo nec mutui datio, nec debiti, vel indebiti ſolutio, nec ſervitutis impoſitio &c.

§. 35.

Ex nota 4) hic poſita recte formabis argumentum ab etymologia, modo advertas 1) quod, ut firmiter concludatur, etymologia debeat deſumi a membro ali-

quo essentiali. 2) Quod etymologia latior sit instar generis & etymologatum angustius instar speciei. Idem est de etymologato latiore, & etymologia angustiore. Sic ergo ab etymologato angustiore argumentor affirmative ad etymologiam latiorem e. g. est testamentum, ergo testatio mentis. Est mutuum, ergo fit ex meo tuum. Ab etymologia latiore ad etymologatum angustius argumentor negative sic: non est testatio mentis, ergo nec testamentum. Item non fit ex meo tuum, ergo non est mutuum. Ab etymologato angustiore ad etymologiam latiorem infero affirmative, v. g. est testamentum, ergo est testatio mentis. Ab etymologia angustiore ad etymologatum latius non valet argumentum negative. Sic non valet: res immobilis non potest poni, ergo nec deponi.

§. 36.

Antequam hinc abeam, de specie adhuc notandum, quod non in omni philosophia in eodem significatu accipiatur; nam Aristotelici in eo accipiunt, quo hactenus tractavimus, scilicet accipiunt pro specie universali, quo significatu etiam Jureconsulti sæpe accipiunt. Stoici autem

tem per ſpeciem intelligunt rem ſingularem, quam Ariſtotelici individuum dicunt. Secundum Stoicos ergo eſt ſpecies ſingularis, quaſi a ſpicio dicta; quia eſt res, quam ſpicimus, ſive videmus, rem autem ſingularem tantum videmus, ſecundum Ariſtotelicos autem ſpecies eſt univerſalis, ut dictum, in utroque ſignificatu in jure noſtro accipitur, & noſtri aevi JCti in utroque ſignificatu loquuntur, quod ex ſubjecta materia dijudicandum: Sic quando dicimus: Debitor ſpeciei interitu fortuito rei liberatur, accipitur ſpecies ſecundum Stoicos, alias ſæpe accipitur ſecundum Ariſtotelicos. vid. *L. 27. §. 3. ff. de uſufr. L. 28. ff. de uſu & uſufr. legat. §. 4. Inſtit. de ſucceſſ. cognator. §. 2. Inſt. de oblig.* Speciem Ariſtotelicam Stoici dicunt genus; quia poſt ſpeciem aſcendendo in arbore prædicamentali ſequitur genus. Ad ſpeciem ſtoicam pertinet, quando petimus nobis narrari ſpeciem facti, hoc eſt, factum cum ſuis circumſtantiis individuantibus. Huc quoque pertinet, quod dicitur: Specialiter renunciare beneficiis, id eſt, expreſſe, & in certam ſpeciem directa renunciatione.

SECTIO

SECTIO II.
DE
PROPRIO.

§. 37.

PROPRIVM est, quod essentiam rei non ingreditur, nec in definitione exprimitur, necessario tamen de re prædicatur. Hoc, præsertim apud jurisconsultos varia habet nomina, sic dicitur propria rei affectio, attributum, proprium, naturale.

§. 38.

Proprium faciunt quadruplex, primi, secundi, tertii, & quarti modi. Proprium quarti modi per excellentiam est tale, est autem, quod ex ipsa rei essentia, sive, ut JCti loquuntur, ex essentialibus principiis per necessariam consequentiam fluit, & convertibiliter de re prædicatur. v. g. gaudere jure belli; circa sacra; potestate condendi leges &c. est proprium majestatis, unde dicere possum: omnis persona majestatem habens gaudet jure belli &c. ergo omnis persona gaudens jure belli &c. habet majestatem. Item contractibus bonæ fidei inest doli præstatis; ergo

ergo contractus, quibus ineſt præſtatio doli, ſunt bonæ fidei. Quia ergo præſtatio doli inſeparabiliter ineſt contractibus bonæ fidei, inde ſequitur, quod, ſicut heres contrahentis in ſolidum tenetur ex contractu defuncti, etiam ita teneatur, quando dolus defuncti in contractu verſatur, maxime, quia talis dolus non habet ſpecialem formam delicti, ſed eſt accidens contractus. vid. *L. 12. 49. π. de oblig. & act.* Item actionibus realibus proprium eſt, poſſe onus rei cohærens rem dereliquendo declinare. *L. 6. §. 2. π. ſi ſerv. vindic.* Tutoris quarti modi proprium eſt defenſio pupilli, vel potius facultas defendendi pupillum. Dominii pleni & perfecti proprium eſt alienabilitas. Huc pertinet revocabilitas & renunciabilitas in mandato, quæ adeo ei convenit, ut clauſula de non revocando fruſtranea ſit. *Joh. Brunnem. ad L. 4. π. de procur.* Hæc proprietas patet, ſi examines eſſentiam mandati, quæ conſiſtit in hoc, quod amicus amico negotium ſuum gratis expediendum committat, & hic officioſam operam ſuſcipiat, ubi mandans non obligatur ad id, ut ſuſceptum gratuitum officium perfici patiatur, cum man-

mandatarii non interſit, ſi re adhuc integra revocetur, quod etiam obtinet, ſi re non integra revocetur præſtita indemnitate. Deinde cum mandatum officii cauſam habeat, mandatarius quoque mandanti non obligatur. vid. *Vinn. ad §. 9. & 11. Inſtit. mandat. Coccej. jur. controv. p. 1. lib. 17. tit. 2. q. 17.* verſ. 2) *ſocietas &c.* Unde per neceſſariam conſequentiam fluit, quod mandatarius renunciare poſſit, ſemper tamen ſalva indemnitate mandantis. Huc refero, quod in mandato (& aliis contractibus atque titulis dominii non translativis) dominium maneat apud dominum. vid. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de contrah. empt. vend. §. 65.* Licet autem quandoque in iſtis contractibus dominium transferatur, hoc tamen fit per accidens & nihilominus manet contractus dominii non translativus; nam quod per accidens fit, rei eſſentiam, & neceſſaria conſequentia non mutat.

§. 39.

Solent etiam facere proprium tertii modi, quod ſcilicet competit omni individuo & ſoli ſpeciei, ſed non ſemper ut caneſcere. Sed quia in propriis internis

potius

potius ſpectanda eſt potentia, & actus primus, quam actus ſecundus & exercitium, iſtud proprium non attendo; nam licet quandoque actus ſecundus impediatur per extrinſecum impediens, actus tamen primus manet ſalvus, ſicut in fornace babylonica ignis manebat calidus in ſummo gradu, ſive calefactivus & uſtivus, quanquam tres pios viros non ureret, nec combureret Deo impediente actionem ignis.

§. 40.

Secundi modi proprium eſt, quod competit omni individuo, ſed non ſoli ſpeciei. v. g. non eſſe nutritivum peccati, quod ita eſt proprium juramenti, ut competat omni juramento, ſed non ſoli, convenit enim etiam pacto. Ad hoc proprium refero facultatem exigendi precium, in emptione vend. quæ competit omni emptioni vend. ſed non ſoli, cum etiam pertineat ad locationem. Unde ulterius ſequitur evictionis præſtatio, quæ nec per pactum impediri poteſt (ſaltem quo ad pretii reſtitutionem, vel retentionem, quando nondum ſolutum eſt) ne alteri per alterum iniqua conditio in

fera-

feratur. Dices: per pactum conveniri posse, ne evictio, etiam quo ad precium restituendum præstetur. Respondeo ex §. 38. in fin. hoc scilicet fieri per accidens. 2) Respondeo, tunc non res, sed spes est vendita.

§. 41.

Proprium primi modi est, quod competit soli speciei, sed non omni individuo, ut esse jureconsultum, consulem, doctorem &c. quæ competunt soli homini. Sed, si hæc consideremus quo ad potentiam (id est, posse esse jureconsultum &c. est proprium quarti modi; quia fluit ex rationali natura humana. vid. §. 78.

§. 42.

Faciunt etiam jureconsulti naturalia, sive propria externa & separabilia, quæ autoritate legis, vel consvetudinis insunt. e. g. quando laudemium consvetudine ex feudo solvi debet, hæc præstatio est naturale extrinsecum, & petitur ex contractu feudali, sicut in emphyteusi actione ex contractu emphyteutico. Huc spectant naturalia feudi, quæ sunt qualitates feudo juris feudalis autoritate ita inditæ, ut, nisi aliter conventum sit, insint.

§. 43.

§. 43.

Sunt etiam propria disjuncta, quæ dicuntur composita. Sic de genere prædicantur differentiæ divisivæ, ut, animal est vel rationale, vel irrationale, contractus verus vel habet certum nomen, vel non habet certum nomen. Contractus nominatus vel re contrahitur, vel verbis, vel literis, vel solo consensu.

SECTIO III.

DE ACCIDENTE.

§. 44.

Sequitur accidens, quod de subjecto prædicari potest, contingenter, & quidem in concreto, v. g. hic fundus, hæc domus est oppignorata. Hæc domus habet privilegium. Ubi oppignoratum esse est accidens prædicabile. Sic quando res consideratur tanquam suppositum; homo tanquam nuda persona, jura iis inhærentia, vel adhærentia sunt accidentia, ita, ut in concreto dicere possim: hic homo est consul, doctor &c. Alias ita definitur accidens: quod potest adesse vel abesse sine subjecti corruptione, id est, sive adsit, sive absit, subjectum

ctum manet salvum. Talia accidentia sunt nobilitas, quæ hodie sangvini inhæret, ex dispositione concedentis, & cum sanguine propagatur, adeo, ut infans in utero materno sit nobilis. Huc spectat doctoralis & aliæ dignitates personis & rebus cohærentes, utpote quod feudum sit nobile, vel non nobile, regale vel non regale &c. &c.

§. 45.

Ubi nota, quod quandoque substantia physice considerata juridice sit accidens, & accidens, physice consideratum juridice sit substantia pro intentione agentium. Sed de hac re infra §. 60. v. g. vendo mensam auream vel vas aureum, quod postea deprehenditur inauratum, vel auro coopertum, hæc venditio valet, quia partes intenderunt principaliter vas emere, ubi forma vasis (quæ physice est accidens) habetur pro substantia, materia pro accidente. Si tamen principaliter intendissent aurum, forma vasis esset accidens.

§. 46.

Iuridice quoque accidentia sunt, quæ in jure dicuntur accessoria, licet in se sint

sint substantiæ, veluti pertinentiæ prædiorum, ut tormenta bellica ad perpetuum usum castri destinata vid. *Lauterb. ad π. compend. tit. de empt. vend.*

§. 47.

Nota quoque, quod accidentia primo, per se, & immediate, atque citra operationem nostri intellectus sint singularium. Unde patet ratio, quare exercitor navis teneatur iis, cum quibus magister navis contraxit, non vero ii, qui cum magistro contraxerunt, teneantur exercitori, quia nimirum illi exercitorem in individuo respexerunt ejus fidem sequendo, cum exercitorem ex instructione cognoverint, exercitor autem eos, cum quibus magister erat contracturus, non respexit, cum eos in individuo non cognoverit.

CAPVT III.

DE PRAEDICAMENTIS.

SECTIO I.

DE PRAEDICAMENTIS IN GENERE.

§. 48.

PRAEDICAMENTVM est classis, seu dispositio rerum prædicabilium se-

cundum inferius & ſuperius. Nam ut ſciam quomodo aptitudo prædicandi in rebus ipſis deliteſcat, atque facilius res concipi & definiri queant, ideo per inferiora & ſuperiora ſunt diſponenda, quia ſuperiora prædicantur de inferioribus, hisque inſunt.

§. 49.

Ea vero tantum in prædicamentis ponuntur, quæ 1) ſunt entia vera (ſive naturaliter, ſive civiliter) hinc excluduntur meræ privationes, quæ tamen ad ſui habitus, quo privant, prædicamentum referuntur, v. g. cæcitas refertur ad prædicamentum qualitatis, quia in eo eſt potentia viſiva, qua privat cæcitas. Servitus eſt privatio libertatis, & pertinet ad prædicamentum qualitatis, quia eo pertinet libertas. Idem eſt de obligatione juridica. Quanquam ego exiſtimem hæc eſſe entia moraliter realia & vera; quia obligatio *l. 3. π. de oblig. & act.* dicitur adſtringere, debitor obligatus & adſtrictus. Servitutes dicuntur diffundi per omnes partes fundi; dicuntur quoque augeri. Quod ergo habet prædicata realia, & reales effectus, eſt reale

reale & verum, non mera privatio, licet in istis privatio concomitetur, sicut, quando forma ignis inducitur in lignum per concomitantiam expellitur forma ligni. 2) Quæ unum simplicem conceptum præbent, ideo æquivoca indistincta, item concreta & aggregata excluduntur; nam per se non prædicantur, sed propter simplices res, ex quibus constant, ideoque reducuntur ad prædicamenta simplicium. Concreta reducuntur ad id, in quo est forma denominans, æquivoca sunt distinguenda. Ita pignus prius debeo distinguere, antequam possim referre ad prædicamentum, A) enim accipitur pro jure in re, & ita refertur ad prædicamentum qualitatis, B) accipitur pro re oppignorata, & refertur ad prædicamentum substantiæ (idem dicendum de feudo, emphytensi &c.) C) pro contractu pignoris & pertinet ad prædicamentum actionis. Et secundum has acceptiones etiam sunt definienda; cum æquivoca ut talia definiri non possint; ratio est manifesta; cum æquivoca ut talia habeant diversas essentias, definitio autem sit essentiæ rei explicatio, 3) quæ sunt completæ essentiæ; nam partes, quæ

fere infinitæ ſunt, non poſſunt in certa claſſe poni.

§. 50.

Collocantur autem res duplici modo in prædicamentis, 1) directo in linea recta, quæ ſupremo loco genus ſummum ponit, quod inferius ſequuntur genera intermedia (reſpiciendo inferiora) vel potius differentiæ diviſivæ, & tandem ſpecies infimæ, quibus omnibus ſubſternuntur individua, 2) in linea collaterali. Sic omnibus ſpeciebus ſuæ differentiæ ad latus collocantur, quo modo dilucide inveſtigantur quarumvis rerum differentiæ, exemplum exhibet adjunctum ſchema ſub A.

§. 51.

Ex quibus patet ſynonymicas tantum prædicationes ex prædicamentis ſumi, non accidentales qua tales. De cetero album v. g. quatenus comparo ad ſuperiora, ut ſi dicam: album eſt coloratum; coloratum eſt qualificatum; qualificatum eſt accidentarium, eſt prædicatio eſſentialis, idem eſt de aliis accidentibus.

SECTIO

SECTIO II.
DE PRAEDICAMENTO SVBSTANTIAE.

§. 52.

PRAEDICAMENTA vulgo faciunt decem, inter quæ primum locum obtinet ſubſtantia. Eſt autem ſubſtantia ens per ſe ſubſiſtens, id eſt ſubſiſtens non in alio tanquam ſubjecto et adjunctum (unde ſimul apparet, quod accidens ſit, quod eſt in alio tanquam ſubjecto, et tanquam adjunctum) ſchema ſubſtantiae moralis propono ex nota *Hartungi* ad *B. Joh. Brunnemann. enchiridion logicæ jurid. cap. 4. §. 6.*

§. 53.

Ubi nota 1) quod perſona vel res cum adjuncta qualitate morali in concreto conſiderata dicatur ſubſtantia moralis.

Nota etiam obiter 2) quod ſubſtantia ſit prima vel ſecunda, ſubſtantia prima eſt res ſingularis v. g. hic equus, hic homo Petrus. Secunda eſt, quæ abſtrahitur a prima.

Nota 3) ſubſtantiam ſæpe accipi pro bonis. vid. *princ. Inſtit. quibus alien. lic. &c.* Sic liberis imputantur in legitimam tan-

A. ad §. 50. pag. 54.

Pactum
habens vim producendi actionem
Veſtitum
habens vim intrinſecam ac naturalem
Contractus
conſtans vero conſenſu
Contractus verus
habens ſpecificum nomen
Contractus nominatus
perficitur ſolo conſenſu
Contractus conſenſualis
perficitur ſolo conſenſu de re pro certo pretio tradenda.
Emptio venditio
Hæc emptio cum Titio de equo bucephalo, pro 20. imperialibus tradendo individua emtio

---

Pactum
Pactum veſtitum
habens vim ex contractu cui adjicitur,
Pactum adjectum
b. f. contractui

Pactum
Veſtitum
habens vim extrinſecam per aſſiſtentiam legis
Pactum legitimum
quo ex liberalitate donum in aliquem confertur
Donatio

Pactum
Veſtitum
Contractus
Contractus verus
Contractus nominatus
perficitur rei interventu
Contractus realis
quo res fungibilis alicui datur ad conſumptionem, ut poſt tempus reſtituat
Mutuum
Hoc mutuum quo Titio dantur 100.

Contractus realis
quo certa ſpecies ad certum uſum gratuitum traditur, ut finito uſu reſtituatur
Commodatum
Eodem modo proceditur per omnes Contractus reales & conſenſuales

---

Pactum
Pactum veſtitum
Contractus
Contractus verus
non habens ſpecificum certum nomen, habens tamen cauſam.
Contractus innominatus
qui non habet certas & ſpecificas differentias, habet tamen cauſam.
Do, ut des.
Do, ut facias.
Facio, ut des.
Facio, ut facias.

Pactum (fictum)
Veſtitum
Contractus
conſtans ficto conſenſu
Quaſi Contractus
quo quis abſentis & ignorantis negotia gerit ſine mandato.
Negotiorum geſtio.

Et ita proceditur in aliis quaſi contractibus per differentias ſpecificas & ſpecies, ſcilicet differentias ſpecificas inquirendo, & ex iſtis & genere proximo ſpeciem per rationem intellectus componendo. Eodem modo quoque proceditur in aliis entibus moralibus & juridicis.

B. ad §. 52. pag. 55.

Subſtantia moralis eſt
- Vel perſona, & hæc vel
  - ſimplex, quæ
    - vel publica eademque
      - Politica, ut Princeps, Conſul.
      - Eccleſiaſtica, Epiſcopus, Paſtor.
    - vel privata, quæ differt
      - vel civis
        - Nobilis.
        - plebejus.
      - peregrinus
    - vel ratione civitatis, & eſt
      - ſui juris, Dominus.
      - alieni juris, Filius f., Servus.
    - vel ratione familiæ, & eſt vel
      - Infantes ad annum 7.
      - Impuberes ad annum 14.
      - Minores ad annum 25.
    - vel ratione ætatis, unde
  - compoſita dicta ſocietas, quæ
    - Publica
      - Politica, Senatus, Parlamentum.
      - Sacra, Eccleſia, Conſiſtorium.
    - Privata conſtans
      - Familiis
      - Collegiis variis opificum &c. Conf. tamen Carpz. Deciſ. 285. n. 5. 6.
- Vel res, quæ contra diſtinctæ perſonis ſunt
  - vel humani juris.
  - vel divini juris.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0075
DFG

tum ea, quæ ſunt ex ſubſtantia patris; id eſt, bonis patris.

4) Aliquando ſubſtantia accipitur pro eo, quod conſtat materia & forma. vid. *§. 29. Inſtit. de R. D. & A. E. D. princ. Inſt. de uſufr.*

§. 54.

Propria ſubſtantiæ ſunt 1) eſſe cauſam vel ſubjectum accidentium; nam a ſubſtantia dependent accidentia; horum enim eſſe eſt ineſſe, & accidentia ſequuntur ſuum ſubjectum, ſubſtantia enim a ſubſtando dici poteſt, quia ſubſtat accidentibus. Hinc ſubſtantiam ſive ſubjectum dici puto omne illud, quod accidentibus ſive phyſicis, ſive moralibus ſubſtat, quodque accidentia ſive acceſſoria ſequuntur. Hinc ſequitur, quod, ſi defunctus non habuerit juſtam litigandi cauſam, etiam heres ejus condemnetur in expenſas, quia; inſtantia (quaſi quædam proceſſus ſubſtantia) cum omnibus cohærentibus tranſit ad heredem, excipe expenſas contumaciæ. vid. *Carpz. part. I. conſt. 31. def. 24.* quia hæ expenſæ non cohærent inſtantiæ, ſed perſonæ contumacis, & eſt pœna delicti, quæ ad heredes non tranſit. Huc referri poſſunt ea quæ

ſcribit

scribit *Andr. Gail. lib. 1. de pac. pub. cap. 6.* & *nn. seqq.*

§. 55.

Hinc porro sequitur, quod, quando dies sive terminus prorogatur, id fieri debeat cum omnibus qualitatibus & solennitatibus, quæ requiruntur in primo actu, & trahat secum omnia accessoria, atque ejusdem naturæ sit cum primo actu *Joh. Brunnem. ad L. 25. π. de arbitr.* prorogatio enim nihil aliud est, quam dilationis labentis & nondum lapsæ extensio, diciturque eadem dilatio cum prima *Gail. lib. 1. obs. 91. n. 21.* Idem de *pac. pub. lib. 1. cap. 12. n. 9.* Hinc indulto moratorio durante currunt usuræ non ex mora (quia hæc non est) sed ex conventione debitæ *Mev. Discuss. levam. inop. cred. cap. 4. sect. 8. n. 35.*

Teneor sub juramento solvere certo termino, quæritur, an, si creditor terminum proroget, juramentum sit remissum? respondeo, quod non, quia eadem obligatio, cui adjunctum est juramentum, manet, & prorogatio fit cum iisdem qualitatibus & clausulis rei, quæ prorogatur. *Zæs. ad tit. π. de jurejur. n. 91.*

Debeo certo die ſolvere, ex errore autem ſolvo ante diem, & non habeo condictionem indebiti, ergo nec uſuræ peti poſſunt, principali enim, ſive quoad ſubſtantiam, actione non ſubſiſtente ſupervacuum eſt ſuper uſuris judicem cognoſcere. *Coccej. jur. controv. de condict. indebit. q. 9.* Ita manente actione e. g. injuriarum, quoad ſubſtantiam, manere poteſt qualitas, e. g. egi ex injuria actione ad palinodiam, & interim annus eſt lapſus, quæritur, an adhuc agere poſſim æſtimatorie? Reſpondeo, quod ſic; quia per litis conteſtationem actio quoad ſubſtantiam manſit ſalva. *Joh. Brunnem. ad L. 4. π. de nox. act.* Sequitur quoque ex dicto proprio, quod ſublato ſubjecto tollatur adjunctum.

§. 56.

Secundum ſubſtantiæ proprium eſt, ipſi non repugnare ſeparatim exiſtere. Sic fundo legato, ſi villa diruta ſit, non extinguitur legatum fundi. Idem eſt, ſi fundi uſusfructus legatus, & diruta ſit villa, manet enim uſusfructus; quia villa fundi acceſſio eſt. *L. 8. π. quib. mod. uſusfr. amitt.*

§. 57.

§. 57.

Tertium proprium ſubſtantiæ eſt, eſſe prius accidente natura (dum accidentia ab ea dependet) & cognitione; nam antequam de ſubjecto aliquid demonſtrem præcognoſcendum eſt ſubjectum, quod eſt ſubſtantia. Itaque quando volo demonſtrare Titium delictum commiſiſſe, prius debeo demonſtrare delictum v. g. homicidium, furtum &c. factum eſſe. Et hoc maxime obtinet in inquiſitionibus. Unde inquiſitio adverſus certam perſonam inſtituta nulla eſt, niſi prius conſtet de corpore delicti, id eſt, delictum eſſe commiſſum. Nam, ut doctores loquuntur: regulare eſt in qualibet materia, quod, ubi lex aliquid diſponit intuitu certæ rei, debeat prius de ea re conſtare, & qui vult probare qualitatem, debeat prius probare ſubſtantiam, in qua qualitas fundatur.

§. 58.

Quartum proprium ſubſtantiæ eſt, quod per ſe non habeat contrarium, licet recipiat contrarias qualitates.

§. 59.

Quintum proprium eſt, quod non admittat,

mittat magis & minus, id est, intensionem & remissionem, scilicet per se. Sed hæc ultima duo propria magis ad substantias physicas pertinent, quam ad morales.

§. 60.

Sequitur accidens oppositum substantiæ, quod jam definitum est §. 52. Ubi nota, quod in materia juridica sæpe substantia accipiatur pro accidente, & accidens pro substantia ex intentione contrahentium & agentium. Sic si vas æneum pro aureo veneat, tunc substantia rei consistit in forma; partes enim vas comparare voluerunt, materia ergo hic est accidentale quid. Ita mensa manet, etiamsi non sit aurea. Poculum, etsi non sit aureum *Coccej. jur. controv. ad tit. de contrab. empt. vend. q. 47.* vid. §. 45. Sic, quod areæ inædificatur, cedit solo, ubi solum est substantia, inædificatum accidens, sive, ut JCti loquuntur, accessorium. Hinc si alicui legetur area, et in ea ædificetur, ædificatum cum area debetur legatario. Et, si inædificatum istud iterum destruatur, manet area in legato. Si domus sit legata, & a testatore postea destructa, non debetur area, quia substan-

stantia legati consistit in domo legata, & area ex intentione testatoris est tantum accessoria *Lauterb. colleg. theor. pract. lib. 30. tit. 30. §. 50.* Quid si casu pereat domus legata? Respondeo manere legatum, quia voluntas testatoris per consequentiam & secundario aream legare volentis non est mutata. Hinc apparet, quantum novus philosophus erret, qui acquisitionem ædificii a precio arcessit, aliud docebit ipsum *Arnold. Vinn. ad §. 29. princip. Instit. de R. D. & A. E. D.* Hujus accidentis sunt novem summa genera, vel, si mavis, species. vid. §. 26. §. 27. in fin. scilicet quantitas; qualitas; relatio; actio; passio; ubi; quando; situs; habitus.

SECTIO III.

DE PRAEDICAMENTO QVANTITATIS.

§. 61.

QVANTITAS est accidens, secundum quod res est extensa ac divisibilis, vel aliquot. Extensa dicitur; quia una pars rei est extra aliam, cum qua tamen unitur, & secundum hanc res dicitur magna vel parva. Dividitur in continuam & discre-

discretam. Continua, in permanentem & successivam. Continua est, cujus omnes partes cohærent & inter se uniuntur. Discreta est numerus, & improprie est quantitas. Continua permanens est, quæ habet omnes partes simul existentes. Continua successiva est, cujus partes omnes simul non existunt, nec existere possunt, quod est tempus, cujus partes sunt: præteritum, præsens & futurum. Quantitas continua permanens est vel linea, quæ est extensio in longum tantum, vel superficies, quæ est extensio in longum & latum tantum. Vel corpus, quod est extensio in longum, latum & profundum. Hæ quantitates in jurisprudentia maximum habent usum. Et in personis (moraliter loquendo) est existimatio, quæ est dignitatis inlæsæ status legibus & moribus comprobatus *L. 5. §. 2. π. de extraordin. cognit.* Sic dicitur magnus vir; pontifex maximus, id est vir maximæ dignitatis inter pontifices. Princeps maximus, cui dignitati cohærent jura vel maxima, vel media, vel infima &c. In rebus dicitur precium. Sic res dicitur magni, vel parvi (scilicet precii) sic operæ rusticorum dominis debi-

tæ,

tæ, vel habent certam quantitatem, id est, sunt determinatæ ad certos dies, vel actus, vel locum, & dicuntur: *gemesſene Dienſte.* Vel non habent certam quantitatem, id est non sunt determinatæ, *ungemesſene Dienſte.*

Lineæ usus est in terminis jurisdictionum & territoriorum; nam linea dividens confines jurisdictiones est communis utrique magistratui confini, ita, ut si occisus aliquis sit in ista linea dividente, vel mortuus deprehendatur, uterque magistratus concurrere debeat tam in occiso tollendo, quam de crimine cognoscendo, ut locus non sit præventioni, sicut enim linea communis est utrique, ita etiam jurisdictio in ea.

Dimensionis quo ad longum latum & profundum, est usus in jure occupandi feras bestias, & investigandi metalla, occupandi terras desertas.

§. 62.

Quantitatis continuæ successivæ usus est in præscriptione, ubi requiritur continua & non interrupta possessio, quæ continuatio est de forma usucapionis. Continuæ & discretæ simul usus est in consvetudine introducenda, ubi requiruntur,

tur actus plures exerciti per tempus longum, non interrupti per actus difformes. Quantitatis discretæ tantum, usus est in mutuo, in quod veniunt res duntaxat numero, pondere & mensura constantes, unde in mutuo dicuntur venire quantitates, quæ alia consideratione dicuntur consumptibiles & fungibiles.

§. 63.

Ubi nota 1) quod quantitatis per se nulla sit operatio; quia hæc tantum potentiis (sive physicis, sive moralibus) competit, quæ pertinent ad prædicamentum qualitatis, unde locatio ad longum tempus non causat aliquod dominium. Licet autem tempus tanquam quantitas per se nil causet, causat tamen junctum aliis circumstantiis, & sic in concreto, v. g. junctum voluntati domini volentis jus in alium transferre, vel junctum titulo, bonæ fidei & possessioni, sic enim per usucapionem causat dominium. Sic quoque princeps imperii parvi territorii non minor est (id est non minorem habet potentiam moralem) quam princeps magni territorii. Idem est in Rege, quæ solet dici quantitas virtutis, non molis.

§. 64.

§. 64.

Nota 2) quod quantitas magna & parva non inducat diversitatem essentiæ, qua quantitas est distincta & diversa ab essentia. Hinc universitas magna & parva constituit Syndicum, & aliis universitatis juribus utitur.

§. 65.

Nota 3) quod secundum quantitatem res proprie sint, & dicantur æquales. Dico proprie, nam improprie etiam duo calores & colores dicuntur æquales; proprie enim sunt similes; æquales namque res dicuntur a quantitate, similes a qualitate, sic stultus & superbus sunt similes; locatio similis est emptioni.

§. 66.

Nota 4) quantitatem non recipere contrarium, nec magis & minus, hæc enim sunt propria qualitatum, licet non omnium, recipere tamen majus & minus, quod est extensionis.

* * * * * *
* * *

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0085
DFG

SECTIO IV.
DE
PRAEDICAMENTO QVALITATIS.

§. 67.

QVALITAS est accidens *absolutum* (per hanc vocem distinguitur a relatione) *per-manens* (per quam vocem ab actione & passione distingvitur) ad formæ modum subjectum afficiens.

Ab hac qualitate subjectum habet perfectionem accidentalem & denominationem.

§. 68.

Qualitatum moralium usus in jurisprudentia est maximus. Sunt autem qualitates morales, quæ per leges, vel voluntates disponentium, rebus, personis, vel negotiis lege permittente induntur v. g. libertas, salubritas, quatenus auget rerum pretia; Servitus rerum tam active, quam passive accepta; pignus; cognatio; agnatio; nobilitas; naturalia feudi, quæ sunt qualitates juris feudalis autoritate feudo inditæ, ita, ut, nisi aliter conventum sit, illi insint. Sic dantur qualitates factorum, v. g. dolus, culpa, necessaria defensio, contractibus adjiciuntur pacta, dies, conditio, modus, quæ

quæ sunt qualitates contractuum, idem est in ultimis voluntatibus &c. Huc pertinent qualitates prædiorum, allodialis, feudalis, dotalis &c. ubi advertendum, an sit singularis; nam hæc non præsumitur, sed probari debet, cum possit adesse, vel abesse. Ubi utilissima quæque observari possunt, e. g. quando dispositio alicui competit propter certam qualitatem, translata ea transfertur *L. 40. §. 3. π. de pact.* vid. omnino *Joh. Brunnem. ad L. 13. & 4. π. de alim. & cib. legat.* Et quando Abbati alicujus monasterii jus aliquod tribuitur intuitu qualitatis abbatialis, ea qualitate translata transfertur ipsum jus. Sic quoque quando jus vel privilegium conceditur intuitu qualitatis, ea extincta extingvitur jus, v. g. minori debentur usuræ sine interpellatione. Hic quando major factus est, cessant, & debitor per interpellationem in mora constituendus *L. 87. §. 1.* & ibi *Brunnem. de legat. 2.* Sic qualitas adjecta verbo intelligitur juxta tempus illius verbi cui adjicitur, v. g. uxor erit mihi heres, post mortem suam, hereditatem restituet proximis meis cognatis. Ubi intelliguntur proximi tempore mortis uxoris; quia

qualitas (quæ hic est cognatio) intelligitur juxta tempus verbi (quod est: restituet) cui adjungitur. Nam regulare est, quod, ubicunque quis est vocatus ad successionem cum aliqua qualitate, qualitas illa eo tempore, quo dispositio effectum sortitur, & quo hereditas acquiritur inspici debeat *L. 49. §. 1. & L. 62. pr. π. de hered. instit. Carpz. p. 3. c. 8. d. 26.* Aliud exemplum: Uxor mea erit mihi heres, si sine liberis decessero. Ubi si mihi liberi nati, & iterum mortui ita, ut sine liberis moriar, uxor consequitur hereditatem; quia qualitas: si sine liberis, est intelligenda juxta tempus verbi: decessero *Carpz. p. 2. c. 43. d. 14.* Qualitas, quæ ad actum requiritur adesse debet eo tempore, quo actus geritur *Struv. syntag. jur. civ. exercit. 33. th. 24.* Ita legalitas in executore citationis præcedere debet *Mynsi. cent. 1. obs. 78.* Quantum in feudis faciat qualitas expressa heredis, & an filius possit separare feudum ab hereditate patris, vid. *Mynsi. cent. 3. o. 69.* quem *Lauterb. colleg. theor. pract. tit. de A. vel O. hered. §. 28.* usu obtinere statuit.

§. 69.

Qualitatis quatuor sunt species: 1) potentes-

tenta; 2) habitus; 3) patibilis qualitas; 4) figura.

§. 70.

Eſt autem potentia, qua quid aptum redditur ad agendum vel patiendum. Potentia eſt vel naturalis, vel moralis, naturalis eſt, quæ natura eſt inſita, ut potentia videndi; ambulandi; audiendi; volendi; intelligendi &c. Moralis eſt, quæ legibus vel diſpoſitione hominum lege approbante & concedente fit. De potentia naturali parum ſum ſolicitus. Potentia moralis activa eſt, qua quid jure ſive lege aptum eſt ad aliquid valide agendum. Sic paterfamilias habet potentiam moralem ſive facultatem teſtandi, filiusf. non item, quia leges ipſi hanc potentiam, vel facultatem non tribuerunt, nec pater eam dare poteſt; quia a jure publico dependet. Sic pleraque jura perſonarum; rerum; negotiorum ſunt potentiæ activæ morales, v. g. dominium eſt facultas de re corporali nomine proprio diſponendi pro arbitrio. Servitus (active accepta, vel potius jus) rerum eſt facultas aliquid agendi in alieno. Pignus eſt jus vel facultas tenendi & perſequendi rem oppignoratam. Jus ad

rem est facultas agendi adversus debitorem &c. Hinc *Lauterb. ad tit. π. de rerum Div.* jus rerum definit: quod sit moralis facultas jure quæsita juste aliquid agendi, vel habendi.

§. 71.

Ubi nota, quod, sicut in rebus corporalibus quibuslibet rerum formis inditæ sunt suæ potentiæ, ita in negotiis civilibus quibuslibet formis inditæ sint suæ potentiæ activæ. Sic emptionis venditionis formæ indita est vis sive potentia producendi obligationem & actionem. In contractibus innominatis ipsi implemento ex una parte secuto eadem vis legibus tributa est, quæ vis dicitur natura, ut *Vinn. ad §. 2.* ad verba: *nostra constitutio interpretatur.* Unde *Lauterb. ad π. de pact.* recte definit contractum, quod sit modus conveniendi per se & sua natura producens obligationem & actionem, quem frustra carpit *Stryk. in not. ad d. locum.* Et quia sæpe diversæ qualitates, potentiæ, facultates vel jura concurrunt in uno subjecto, diversos, scilicet quælibet potentia sibi convenientes, producunt effectus, quod denotatur per particulam *quatenus.* Ubi nota, quod qualitates

tates proficuæ rebus inhærentes propter suos effectus, quos producunt, augeant quantitatem moralem scilicet pretium rei istius, cui inhærent.

§. 72.

Potentia passiva est aptitudo ad recipiendam aliquam formam, talis est testamenti factio passiva in eo, qui heres instituitur. In pupillo est potentia passiva recipiendi directionem tutoris. In filio recipiendi imperium patris &c. vid. *Hartung. metaph. jurid. cap. 3.*

§. 73.

Harum qualitatum juridicarum & moralium potentiarum cognitionem maximum in jurisprudentia præbere usum & subsidium juris studioso, doceat hoc exemplum: vidua viri nobilis mortui capit Jur. Sax. dimidiam partem cibariorum sive comestibilium, quæ post trigesimum diem a morte mariti in ejus prædiis supersunt. Quæritur an intelligenda sint prædia feudalia, an etiam allodialia? Resp. intuere qualitatem, ob quam vidua capit dicta commestibilia, an cohæreat prædio, an personæ. Quia ergo personæ cohæret; quia nobilitas est ratio capien-

di, idcirco ex omnibus indifferenter prædiis sunt præstanda, tantum in compendio de potentia.

§. 74.

Secunda species qualitatis est habitus, qui est qualitas potentiæ naturali superaddita eam facilem reddens ad operandum. Hic habitus est vel naturalis, qui natura est insitus, quo forte pertinent præcepta naturalia, vel est extraordinarie a Deo infusus, de quo Theologi; vel est acquisitus labore proprio, qui acquiritur per actus frequentes, ubi maximo labore est opus aduersus innatam ignorantiam, & pronitatem in malum, ubi vero naturalis pronitas in malum, vitiis, sive habitibus inclinantibus in malum subsidium præbet, non opus est magno labore.

§. 75.

Habitus sunt vel intellectus, vel voluntatis, illi intellectum facilem reddunt ad cognoscendum verum, qui dicuntur virtutes intellectuales, qui inclinant ad cognoscendum pro vero falsum, sunt vitia. Hi habitus inclinant intellectum vel ad cognoscendum verum tantum propter scien-

scientiam & sunt theoretici sive speculativi. Vel ad cognoscendum ob praxin & actionem, & tales dicuntur practici. Et hi vel sunt instrumentales, qui inclinant ad instrumenta scientiarum & modos sciendi fabricanda, ut logica. Vel sunt principales, qui circa res ipsas versantur, aliquid circa eas operando, ut Jurisprudentia. Et hi iterum vel efficiunt opus externum & vocatur ars, ut ars saltatoria, palæstrica, fabrilis. Vel non efficiunt opus externum, ut Jurisprudentia, cujus operatio manet in intellectu cognoscente quid sit justum, quid injustum, leges interpretando & ad facta applicando.

§. 76.

Voluntatis habitus est, qui immediate ipsam voluntatem inclinat, movet ac impellit v. g. temperantia, mansvetudo, humanitas, liberalitas &c.

§. 77.

Tertia species qualitatis est patibilis qualitas, quæ afficit sensum vel externum, vel sensu externo percipitur, quæ sunt objecta externorum sensuum, ut albedo, nigredo, calor, frigus, lux &c. Vel afficit

ficit sensum internum, quales sunt affectus, ut amor, odium, commiseratio &c.

Datur etiam moralis patibilis qualitas, quæ judicium hominum afficit, ut honor, ignominia juris vel facti, ut & levis notæ macula, autoritas, gravitas, nobilitas (quæ est quædam pulchritudo moralis & splendet in oculis intellectus) opulentia, quæ hominem moraliter formosum reddunt, vel deformem.

Quarta species qualitatis est figura, quæ est quantitatis externa determinatio secundum lineas, superficiem, crassitiem v. g. rotunditas, quadratura &c. Et est vel naturalis, vel artificialis.

§. 78.

Qualitatis propria sunt 1) in primo modo (quia convenit soli isti speciei subalternæ, sed non omni inferiori) habere contrarium. Hoc tantum competit habitibus, & patibilibus qualitatibus, etiam moralibus, vid. *L. 5. §. 1. 2. 3. π. de extraord. cognit.* ubi existimatio dicitur consumi ex delicto, non etiam competit potentiis; 2) Recipere magis & minus, id est intensionem & remissionem, quod etiam tantum habitibus & patibilibus qua-

qualitatibus competit, etiam moralibus, vid. jam *alleg. L. 5. §. 1. & 2.* 3) maxime proprium est qualitatis, quod secundum eam res dicantur proprie similes, vid. supra §. 56.

SECTIO V.
DE PRAEDICAMENTO RELATIONIS.

§. 79.

SEQVITVR Relatio, quæ est accidens, cujus est referri ad aliud, (hæc relatio aliquando dicitur respectus unius ad aliud) ut paternitas, quæ non potest intelligi, nisi per respectum ad filium. Tutela sine tutore & pupillo; imperium, nisi per respectum ad imperantem & subditos; mandatum, nisi per respectum ad mandantem & mandatarium, emptio venditio, nisi per respectum ad emptorem & venditorem; actio, nisi per respectum ad actorem & reum; successio universalis, nisi per respectum ad defunctum & heredem &c. Unde apparet, quod prædicamentum relationis maximum, & incomparabilem usum habeat in jurisprudentia. vid. *Struv. Jurisprud. rom. germ. forensi lib. 2. tit. 2. aph. 1.* unde dependet hic

hic casus (quem advocatus famigeratus non intellexerat) creditor meus me delegat suo creditori, sed schedæ delegationis a me scriptæ non subscribit, ubi non constat de mandato & mandante, & heredes delegantis me adhuc convenire possunt ex obligatione, qua defuncto teneor. Ex dicta scheda delegationis advocatus ineptissime admittebat processum executivum.

§. 80.

In relatione tria consideranda sunt: 1) subjectum; 2) fundamentum; 3) terminus. Subjectum est id, quod refertur vel respicit. Fundamentum est vel remotum, vel proximum. Remotum est causa, quæ subjectum ad relationem suscipiendam reddit aptum. v. g. capacitas, sive potentia mandandi, proximum est causa proxima, qua aliquid fit relatum, utpote mandatum. Terminus est, id, quod respicitur.

§. 81.

Unde dependet resolutio quæstionis, an morte proconsulis desinat jurisdictio ejus legati? Resp. quod sic, quia hic relationem habet ad illum *Coccej. jur. controv.*

trov. ad tit. de jurisd. qu. 14. obj. 3. Sic finito officio ejus, cui quis adjungitur, simul adjuncti officium, finitur, & sic finito officio tutoris finitur officium adjuncti ejusdem. *l. 1. Cod. quand. tut. vel curat. esse desin.* vid. etiam *l. 2. cod. in quib. caus. tut. habenti curat. dar. poss.* & ibi *Brunnem.*

§. 82.

Datur etiam relatio secundum dici, quando quidem res per se ens absolutum est, sine tamen respectu aliquo nec esse, nec intelligi potest. v. g. scientia, quæ quidem ens absolutum est, & pertinet ad prædicamentum qualitatis, relationem tamen habet ad rem scibilem. Huc pertinent omnes habitus intellectus, & voluntatis, quæ habent quendam respectum ad sua objecta, circa quæ versantur. Ad hujus similitudinem datur etiam donatio mortis causa secundum dici, utpote siquis donet aliquid in eventum mortis suæ, ita, ut nunquam revocare velit. De cetero tota essentia mortis causa dirigitur in eventum mortis. Sic quoque pacta dotalia in modum ultimæ voluntatis concepta sunt, quibus totum negotium, & ejus perfectio atque executio differtur in futu-

futurum mortis casum. *Lauterb. colleg. theor. pract. lib. 23. tit. 4. §. 4.*

§. 83.

Deinde relatio est vel mutua, vel non mutua. Mutua est, ubi correlatio est in utroque correlato, ut pater & filius vid. supra §. 70. non mutua est, ubi relatio est in uno, ad quod alterum non vicissim refertur e. g. dos refertur ad matrimonium, hoc non vicissim ad dotem, cum matrimonium sine dote esse possit, non dos sine matrimonio. Est quoque relatio intrinseca & extrinseca. Illa est, quando ratio fundandi inest subjecto tanquam qualitas, extrinseca est, quando talis qualitas relato non inest. v. g. relatio amantis ad amatum, ubi amor inest amanti, non tamen semper amatæ, item honor inest honoranti, non honorato. Quanquam dici posse putem, quod relatio honorati ad honorantem sit secundum dici.

§. 84.

Tandem relatio est vel disquiparantiæ, vel æquiparantiæ. Illa, quam *Lauterb. colleg. theor. pract. lib. 46. tit. 1. §. 62.* vocat diversi generis, est, quando correlata

lata diversam habent rationem, talis est inter patrem & filium, actorem & reum, creditorem & debitorem; defunctum & heredem, fidejussorem & creditorem, locatorem & conductorem. Hæc est, quando correlata eandem habent rationem v. g. coheredes; socii, confidejussores, correi debendi & credendi, consortes ejusdem litis &c. debitor & fidejusor ejus, qui sunt ejusdem pecuniæ debitores, simul comparati ad creditorem, comparati autem ut accessorius & principalis sunt correlata disquiparantiæ.

§. 85.

Propria correlationis sunt, 1) oppositio relativa, quod tamen tantum intelligendum est de correlatis disquiparantiæ Sic pater non potest esse filius eodem respectu; creditor non potest esse debitor; prædium dominans & serviens eodem respectu. Et in hoc principio fundatur confusio debitorum & creditorum, item servitutum. Ex hac oppositione relativa probat *Carpz. part. 4. const. 42. def. 15.* actionem ex l. diffamari, & actionem injuriarum non posse cumulari, eo, quod nemo possit esse actor & reus simul, nam qui

qui in causa injuriarum vices actoris agit, in judicio diffamari rei partes sustinet provocans diffamatorem, ut agat sub pœna perpetui silentii. Ubi petit se non molestari, & tamen agit, si utrumque judicium simul instituit, & sic sibi adversatur, 2) proprium est reciprocatio in obliquo, ut pater est filii pater, superior est subditorum superior, tutor est pupilli tuitor &c. unde sequitur 3) quod correlata per se invicem cognoscantur & definiantur, 4) proprium est, quod correlata sint simul natura, saltem potentia. Sed hoc intellige secundum esse relativum, ut pater, qua pater, & filius, qua filius, sunt simul natura, nam secundum esse absolutum, scilicet quatenus pater est homo, & pertinet ad prædicamentum substantiæ, est prior. Dixi saltem potentia; nam non est necesse, ut alterum correlatorum semper actu sit. Sic debitor, qui bonis cessit, adhuc est obligatus, licet creditor jus exigendi actu, non habeat. Item servus a domino pro derelicto habitus manet servus, & tamen dominum actu non habet *L. 38. π. de nox. act.* vid. *l. 3. princ. π. de pecul.*

SECTIO

SECTIO VI.

DE PRAEDICAMENTO ACTIONIS ET PASSIONIS.

§. 86.

SEQVITVR prædicamentum actionis. Est autem actio accidens, secundum quod agere dicimur. Sive est exercitium potentiæ activæ. Actio est vel immanens vel transiens. Actio immanens est, quæ manet in ipso agente, nec aliquem effectum producit in alio subjecto, ut intellectio, volitio. Transiens vero est, quæ operatur effectum in alio subjecto v. g. imperium patrium; superiorum; domini &c. operatur directionem in filio; subdito; servo. Autoritas tutoris, consensus curatoris operatur in pupillo, minore validitatem negotii ab istis gesti. Ad prædicamentum actionis pertinent omnium jurium exercitia, ut perceptio fructuum; traditio; specificatio; donatio; usucapio; contractus transactio; delictum; traditio hereditatis; cessio actionum. Huc etiam referri debent omissiones morales, ut non comparitio in judicio, sive contumacia.

§. 87.

Deinde actio est vel instantanea, vel successiva. Instantanea, ut hereditatis aditio; stipulatio; emptio venditio &c. quæ uno instanti sive momento producunt suos effectus. Hinc, quia statuta academica Jenensia obligant studiosum ad solvendum totum honorarium, mox ac nomen suum collegio dedit, se ipsum fallit, dum putat, se non obligari nisi finito collegio, vel mortuo, vel justo impedimento abstracto docente cursu nondum finito; professio enim nominis est actio instantanea uno momento producens totum effectum obligationis. Huc pertinet probatio in continenti facienda. Actio successiva est, quæ per tractum temporis fit, ut informatio. Huc spectat contractus locationis conductionis, qui, licet uno momento ineatur, effectum tamen producit successive; nam obligatio ad pensionem successive, pro ut usus percipitur, producitur; hinc dicitur, quod singulis diebus & momentis cedat dies, scilicet in locatione earum rerum, quæ singulis momentis usum præstant, ut habitatio. Huc quoque spectat processus ordinarius.

§. 88.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0102
DFG

§. 88.

Passio est actionis receptio, sive exercitium potentiæ passivæ. Huc referri debet condemnatio & absolutio, quæ respectu condemnati vel absoluti est passio, respectu judicis actio; nam actio & passio necessario se invicem respiciunt, vel, forte realiter sunt idem, differentes saltem diverso respectu. Huc pertinet receptio stillicidii, imo omnes servitutes passive acceptæ, quæ sunt passiones morales.

Passio iterum est vel intentionalis, vel transmutativa. Illa est denominatio extrinseca objecti ab aliquo immanente, ut ab animo alterius dicitur quis laudari; honorari; amari &c. Hæc est, qua effectus vel defectus aliquis producitur in subjecto passivo, v. g. receptione rei traditæ tribuitur dominium in re tradita. Receptione consensus utriusque contrahentis producitur obligatio &c. Et hæc passio dicitur perfectiva; Per receptionem lethalis vulneris producitur mors, & hæc dicitur passio corruptiva.

SECTIO VII.

DE PRAEDICAMENTO VBI, QVANDO, SITVS ET HABITVS.

§. 89.

ORDINE se offert prædicamentum ubi, quod est determinatio rei ex alterius rei præsentia. Hoc ubi est vel physicum, ut esse in templo, in foro, vel morale, quo civiliter res alteri est præsens, v. g. princeps in suo imperio est ubique non formaliter, sed virtualiter & civiliter, dum habet magistratus. Unde majestas definitur, quod sit summa ubique (scilicet in suo imperio) potestas. Sic res in eo tantum loco esse videntur, ubi perpetuo munere debent. Sic si quis res, quæ certo in loco sunt, legaverit, illæ tantum legatæ intelliguntur, quæ ita in illo loco sunt, ut perpetuo ibi maneant. vid. *L. 35. §. 3. de hered. instit. L. 44. π. de legat. 3. Lauterb. colleg. theor. pract. de relig. & sumpt. funer. §. 8.* vid. *L. 32. §. 2.* & ibi *Brunnem. de usu & usufr. legat.* vid. *L. 92. §. 1. π. de legat. 3.* ibi: Si alicui legatur domus cum omnibus, quæ ibi sunt, non censetur legata pecunia, nec mer-

merces venales, ob celerem motum enim continuumque usum censentur non esse in loco. Hæc res habet usum in successione ab intestato; in immobilibus enim, & ad certum locum destinatis mobilibus succeditur secundum jura loci rerum sitarum.

§. 90.

Porro ubi est vel proprium, ut esse in domo sua, vel suo cubiculo, vel commune. Sic Roma erat communis patria. *L. 32. π. ad municip.* scil. eorum, qui erant sub imperio romano. vid. *Coccej. jur. controv. lib. 5. tit. 1. qu. 9.* Ad ubi moralia *Hartung in not. hic ad Brunnem. enchirid. log. jurid.* refert status civiles, quasi spatia & loca civilia, ut statum libertatis &c. Matrimonii, statum ecclesiasticum, politicum, militarem, quia nihil aliud sint, quam certa ubi, hæc ubi iterum facit communia, ut in datis exemplis; Et specialia, ut statum diaconi, subdiaconi, militis gregarii &c.

§. 91.

Quando est determinatio, vel denominatio a tempore, ut existere hoc tempore; natum esse sexto, vel decimo mense post nuptias; hoc vel illud esse factum in minore ætate; in infantia, ætate

te pupillari; quæ suos usus habent in Jurisprudentia.

§. 92.

Situs est ordo partium ad locum totius, ut dispositio capitis sursum. Hic situs est vel naturalis, vel voluntarius, ut sessio; incurvatio &c. hæc res quandoque locum habere poterit in materia indiciorum.

Ad hoc prædicamentum pertinet corpus collegii, in quo est situs membrorum ad caput; membrum primum, secundum, tertium &c.

§. 93.

Habitus est denominatio ab externo adjacente. v. g. a vestimento, ut esse vestitum; armatum; larvatum; vestimentis sanguinolentis indutum fuisse &c. quod itidem usum præstat in materia indiciorum. Hæc de prædicamentis sufficiant.

CAPVT IV.

DE DEFINITIONE.

§. 94.

QVAE hactenus de prædicamentis tractata sunt, eo pertinent, ut cujusvis rei

rei essentia inveniri possit, quod est definitionis, quæ omnium rerum proprios conceptus suppeditat. Notat vero vox definitionis, vel ipsam orationem definitivam, vel prædicatum ipsius. De posteriore hic sermo est.

§. 95.

Est autem definitio vel nominis, vel rei. Illa significationem vocis tantum declarat, interpretatur, & explicat, quid scilicet per eam significetur (quanquam sæpe definitio nominis contineat etiam definitionem rei e. g. manumissio est de manu datio) & fit vel per vocem aliam notiorem, ita exceptio dicitur actionis exclusio, quæ notatio ab effectu desumpta est (rei definitio est hæc: Est jus reo competens excludendi actionem *Lauterb. colleg. de except.* §. 7.) avocatio est causæ ab inferiore judice ad superiorem revocatio. Vel per metaphoram e. g. obligatio est vinculum, vel nexus, juris, quo quis necessitate adstringitur alicujus rei præstandæ (hanc tamen nominalem definitionem puto simul continere definitionem realem) vel contrarii remotionem. e. g. libertas est servitutis exclusio,

& remotio (tam in personis, quam rebus) sic servitutis præscriptio contra dominantem, est servitutis exclusio per lapsum temporis. Idem est, quando dominus directus præscribit contra vtilem. *Zæs. ad tit. π. quib. mod. servit. amitt. Mynss. cent. 4. obs. 28.* Vel allusionem. e. g. testamentum est testatio mentis. Mutuum dicitur; quia ex meo fit tuum. Vel per etymologiam, e. g. deponere, a ponere dicitur; emphyteusis ab implantatione. Furtum ab auferendo & ferendo.

§. 96.

Definitio rei est, qua natura vel essentia rei explicatur. De qua notandum 1) quod debeat esse notior definito; alias enim non explicaret; 2) propria, non latior definito, & ita aliis rebus non competens. Hinc testamenti definitio in *L. 1. π. qui testam. fac. poss.* quod sit voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, videtur latior definito suo, cum conveniat etiam codicillis. Resp. est latior si verba respicias, non est latior, si mentem JCti intuearis, vid. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad dic. tit. §. 11.* Si vis, adde dictæ definitio-

nitioni: *directam heredis institutionem continens.* 3) Omnibus inferioribus competere debet; alias esset angustior & non adæquata definito. Sic hæc citationis definitio est angustior: est legitima rei ad judicem ipsius jussu & autoritate facta vocatio juris experiundi gratia, quæ definitio, propter verba ultima: *juris experiundi causa*, non competit omni definito, nimirum citationi ad audiendam sententiam vid. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de in jus voc. §. 15.* vid. eund. *ad tit. de calum. §. 4. in fin.* Quia ergo definitio debet esse adæquata, hinc sequitur reciprocatio inter definitionem & definitum; 4) nihil debet continere superflui. Id autem est superfluum, quod ad explicationem essentiæ rei non pertinet. Hinc verba adjecta definitioni furti: *quod jure naturali prohibitum &c.* sunt superflua. 5) Nec necessarium omitti debet. Quandoque tamen genus omittitur, quando per se patet, & repetitio videtur odiosa. Hinc non est inepta definitio, quæ continetur *§. 4. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Lexi est, quod populus rom. senatorio magistratu interrogante constituit; quia subintelligitur: jus,

ut sic sonet: Lex est jus, quod &c. ineptissime autem quidam textum corrumpunt sic: lex est, quam populus rom. &c. Idem judicium, ratione generis omissi, ferendum de quo §. 5. *Instit. eod.*

§. 97.

Quæritur, an ista verba: *jure civili data & permissa*, ad definitionem tutelæ in §. 1. *Instit. de tut.* allatam pertineant? quod quidam negant dicentes esse superflua. Dico, omnino pertinere; nam tutela pertinet ad prædicamentum qualitatis, & est potentia moralis, quæ definitur per causam efficientem; subjectum objectum, & effectum, sive finem. 6) Ita describenda res est, ut est per naturam, & non desumenda est definitio a relatione mentis nostræ, v. c. ens est primum cognitum.

§. 98.

Ubi notandum, quod in jure definitiones a priori & secundum propriam, strictam & primariam significationem constituantur, præprimis, ubi species sunt analogæ; quoties enim definiuntur analoga, satis est definiri analogum principale, ad quod tanquam primarium refertur

fertur analogum ſecundarium. Sic dominium tanquam analogum continet varias ſpecies inæquales. Eſt enim vel plenum, vel minus plenum; revocabile, vel irrevocabile. Definitio igitur JCtorum de dominio pleno, & irrevocabili conficitur, quæ ad ſpecies ſubjectas poſtea inventas & uſu receptas ſecundum quid applicatur. Ita etiam judicandum de donatione. Unde immerito a quibusdam carpitur *Hopp. comment. ad inſtit. princ. de donat.* quia loquitur de primaria ſpecie donationis.

§. 99.

Realis definitio eſt vel perfecta, vel imperfecta, perfecta, quæ eſſentialis dicitur, & explicat rem per genus proximum, & differentiam ſpecificam, quæ ſunt de rei eſſentia primo & adæquate.

§. 100.

Invenitur autem genus proximum & differentia ſpecifica, ſi per intellectum ſeparentur rei attribula ſive prædicata, quæ immediate cum aliis habet communia, & quæ habet propria e. g. depoſitum convenit cum mutuo, commodato, & pignore, quod fiat interventu rei, ſive

rei

rei traditione, & ita fit contractus realis. Sed proprium est, quod traditio fiat custodiæ causa, & custodia gratis suscipiatur. In hac ratione conveniunt omnia deposita inferiora, unde ratio ista constituit differentiam specificam. Si ergo commune illud & hoc proprium componantur, habemus perfectam definitionem. Vis scire, quid sit modus adjectus negotiis civilibus? considera, quod sit adjectio (in hoc convenit cum adjectione diei, demonstrationis, clausularum) & ita habes genus. Deinde quid habeat proprium, & invenies, quod significet, quid post perfectum negotium fieri debeat (in quo conveniunt omnes modi adjecti sive contractui, sive legato, sive electioni. vid. §. 29.

§. 101.

Imperfecta definitio est, quando res describitur per prædicata extraessentialia, utpote per proprietates, causas, vel effectus. Est vel causalis vel non causalis. Illa describit rem per causam efficientem, finalem, materialem, formalem per subjectum & objectum. v. g. quid est pignus legale? Resp. quod a lege constituitur

tuitur (ecce causam efficientem) quid est intentio? Resp. est actus voluntatis intendentis finem, (ecce causam finalem. vid. definitionem modi &c.) in definitione tutelæ continentur fere omnes causæ. Sed tales definitiones in jure satis perfectas existimo.

Deinde sæpe per effecta res describuntur. v. g. Exceptio est jus reo competens actoris intentionem excludendi. Replicatio est jus actori competens rei excipientis intentionem excludendi &c. usurpatio est actus, quo usucapio interrumpitur, vulnus lethale est mors, quandoque etiam causa directo prædicatur de effectu; nec non causæ, adjuncta propria & effecta in una definitione concurrunt.

§. 102.

Denique definitio debet esse affirmativa, non facile negativa. Nam hæc non explicat quid res sit, sed, potius, quid non sit. Et non est vera definitio suppellectilis in *L. 1. π. de suppel. legat.* ut putat *Hartung. in not. §. 10. hic ad Brunnem. ench. log. jurid.* vera definitio continetur in *L. q. §. 1. & L. 6. ibid.* ubi dicitur, quod sit domesticum patris familias instrumentum rerum

ad

ad quotidianum communem usum paratarum. Dico non facile, quia quandoque ob rerum imperfectionem admittendæ sunt negativæ: v. g. pactum in specie est, quod non habet nomen, neque causam (quod tamen commodius describi existimo: quod in nudis conventionis terminis subsistit: contractus innominatus est, qui non habet nomen sed tamen habet causam. Deinde procedit, quando res definienda est remota a nostro intellectu.

§. 103.

Nunc videamus, quomodo quælibet res definiri debeat. Et quidem substantiæ morales definiuntur per jura ipsis competentia, sive qualitates morales ipsis jure impressas; v. g. res sacra est, quæ rite per pontifices Deo consecratæ sunt &c. personæ morales itidem definiuntur per jura iis lege tributa; per officia; causam efficientem, finalem & effectus. Sic præses est persona a principe constituta ad regendam provinciam ipsi assignatam. Imperator, Rex, princeps constitutus est a Deo ad regendum imperium in omnium & singulorum subditorum utilitatem. Unde *Tertio reg. cap. 10.* recte dixit Regina

gina Saba: *Rex constitutus est, ut faciet judicium & justitiam.*

§. 104.

Unde quoque apparet, quomodo sint definienda propria (per quæ constituuntur personæ morales, quando scilicet considerantur cum persona in concreto) nimirum definiuntur per subjectum, causam efficientem, finalem & effectum nempe operationem e. g. præsidatus est officium ab imperatore præsidi collatum cum potestate regendi provinciam. Syndicatus est officium a communitate alicui concessum ad agendas & defendendas universitatis lites. Instrumenta & partes definiuntur per formam externam & finem. Sed hoc intelligendum de partibus & instrumentis in specie sumptis v. g. si definire velis furcam fimariam. Nam si definias instrumentum fundi, sive prædii rustici in genere, ex *L. §. π. de instruct. & instrum. leg.* recte sic describes: est tale instrumentum, quod fructuum quærendorum, cogendorum & conservandorum gratia paratum est; ubi tantum finis, & non formæ mentio fit, quæ nec fieri potest, cum instrumentum ut sic certam formam non habeat. Habitus de-

definiuntur per objectum & finem. e. g. temperantia est virtus moralis inclinans ad animi & corporis commotiones sive affectus ad rectæ rationis ductum, moderandos, atque dirigendos. Jurisprudentia est virtus intellectualis inclinans intellectum ad leges justa interpretatione applicandas actionibus in civili societate occurrentibus.

Qualitates morales (excepta figura, de qua vid. supra §. 77.) potissimum per effecta definiuntur, huc pertinent omnes servitutes active acceptæ. Sic iter est jus competens prædio dominanti eundi ambulandi per prædium vicinum &c. Sed quia istæ servitutes commode referuntur ad potentias morales, de earum definitione vid. supra §. 70. seqq. ad quas potentias referuntur omnes facultates & jura, etiam privilegia. Correlata quomodo definiantur vid. supra §. 85. relata definiuntur per id, ad quod referuntur. v. g. dos est, quod datur ad sustinenda matrimonii onera.

Actio definitur per subjectum; objectum & finem sive effectum. Sententia est pronunciatio judicis (subjectum) causæ controversæ (objectum) finem imponens

nens (finis & effectus) passio definitur per subjectum, & causam e. g. heredis institutio (passive accepta) est passio, qua quis recipit heredis institutionem a testatore factam. Privatio per habitum definitur. e. g. Rescissio contractus est actus, quo sententia judicis contractus validus legitima ex causa dissolvitur. Sed hæc fere patent ex ipsis prædicamentis.

§. 105.

Quæritur adhuc, an definitio per disjunctionem fieri possit. v. g. contractus est conventio habens nomen vel causam. Libertas est facultas agendi, vel non agendi quod lubet. Locatio conductio est vel rei, vel operarum. Resp. posse. De cætero juris studiosi non debent esse superstitiosi in definitionibus formandis, modo explicent naturam, sive essentiam rei.

CAPUT V.

DE DIVISIONE.

§. 106.

Res definita etiam dividenda est, unde de divisione nunc agendum. Est autem divisio vel vocis, vel rei. Divisio

vocis est vocis ambiguæ in sua significata distributio, sive distinctio. Ubi notandum, quod distinctio ita fieri debeat, ut cum usu conveniat, & intelligentiam rerum promoveat, vid. supra §. 4. &c. Vocabulorum enim significatio ab usu pendet, ergo quando distinguimus, usum respicere debemus. Exemplis rem declaremus: jus dividitur, quod accipiatur 1) pro jurisprudentia; 2) Pro loco, ubi jus redditur; sic dicitur quis in jus vocari; 3) pro ipsa lege; 4) pro facultate licite aliquid agendi, vel habendi vid. *L. pen. & ult. π. de just. & jur.* Servitus dividitur in personarum & personalem. Item in personarum & rerum. Item novatio dividitur in necesfariam, quæ fit per litis contestationem (quæ improprie est talis) & voluntariam (quæ proprie est talis) quæ divisio est vocis æquivocæ in sua æquivocata, vid. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de novat. §. 4.* Jurisdictio dividitur in propriam & mandatam.

§. 107.

Divisio rei est, qua totum in suas partes distribuitur. Quia vero totum est vel verum & proprie ita dictum, vel im-

pro-

proprie tale & analogicum, & illud habet partes veras & proprie ita dictas; hoc improprie & analogice tale est, & habet partes improprie dictas & analogicas: idcirco divisio est totius proprie dicti, & analogici.

§. 108.

Totum proprie dictum est vel essentiale, idque physicum vel artefactum. v. g. homo, qui componitur ex corpore & anima rationali tanquam partibus essentialibus, per quas homo essentialiter constituitur, & sine quibus homo non est, nec esse potest, in quas etiam dividitur. Item vestimentum essentialiter constituitur ex materia & forma vestimenti. Domus, ex tignis & forma domus, in quas partes quoque dividitur. Hinc est, quod alius possit esse dominus domus formaliter, sive secundum formam, alius materialiter, id est, secundum materiam. Vel est totum integrale, cujus quantitas constituitur quantitate partium, in quas etiam dividitur, vid. *Hartung. metaphys. jurid. cap. 13. §. 3. & seqq.* v. g. homo est totum constans capite; scapula; brachiis; pectore; ventre &c. fundus constans suis partibus, vestimentum; domus

constans area, & superstructo ædificio constante tecto &c. Huc pertinet totum morale, ut collegium constans capite & reliquis membris moraliter inter se unitis, in quæ dividitur & homini simile est. Totum integrale iterum est vel homogeneum, sive similare; vel heterogeneum, sive dissimilare. Illud constat partibus similaribus, quæ scilicet sunt ejusdem nominis & rationis cum toto. v. g. fundus, cujus omnes partes sunt & dicuntur fundus. Hoc constat partibus diversæ rationis, essentiæ & appellationis. v. g. domus constans area, superstructo ædificio &c. Huc spectat collegium, quod constat capite, & reliquis membris inferioribus, magis & minus præcipuis. Plura vid. apud *Hartung. alleg. loc.*

§. 109.

Datur etiam totum per accidens, (quod ex multis essentiis componitur beneficio externi & accidentalis cujusdam vinculi) idque concretum, vel aggregatum. Illud est, compositum ex subjecto & adjuncto v. g. Doctor; Notarius; Magistratus; Advocatus &c. & hoc compositum dividitur in personam & doctoratum;

ratum; notariatum; advocaturam &c. quæ dicitur diviſio in materiale & formale Totum aggregatum eſt cumulus lapidum; acervus frumenti; populus; collegium. Ubi fit diviſio in ſingulas res, vel perſonas, vel perſonarum claſſes. Sic populus romanus dividebatur in Senatores, patritios, & plebem; civitas dividitur in imperantem & ſubditos. Inſtitutiones Juſtinianeæ dividuntur in quatuor libros. Jus romanum dividitur in Inſtitutiones; Pandectas; Codicem & Novellas.

§. 110.

Totum analogicum eſt vel eſſentiale metaphyſicum, vel univerſale, vel poteſtativum. Totum eſſentiale metaphyſicum eſt ſpecies, quæ componitur ex genere & differentia, in quæ etiam dividitur, ut homo in animal & rationale. Emptio venditio in contractum conſenſualem, & quod fiat de re pro certo pretio tradenda. Totum univerſale eſt genus, quod habet plures ſpecies ſubjectas ſive inferiores, in quas dividitur, quæ dicuntur partes ſubjectivæ. Sic contractus nominatus dividitur in realem; verbalem; literalem & conſenſualem. Con-

ſenſualis tanquam genus dividitur in emptionem venditionem; Locationem conductionem; Societatem, & mandatum vid. §. 23. 24. Huc pertinent diviſiones (ſive dicas proprias, ſive improprias, in jurisprudentia enim nihil intereſt) quibus cauſa per effectus dividitur v. g. cauſa efficiens eſt vel phyſica, vel moralis. Vel effectus per cauſam efficientem. v. g. habitus eſt vel infuſus a Deo, vel acquiſitus. Per finalem v. g. officium eſt vel publicum (quod ſcilicet directo ſpectat utilitatem publicam) vel privatum (quod directo ſpectat utilitatem privatam) ut tutela (quamvis etiam hoc dicatur publicum ratione cauſæ efficientis). Lex eſt ratione finis vel publica, vel privata. Item huc pertinet, quando accidens per ſubjecta dividitur. v. g. Servitus realis alia eſt prædiorum ruſticorum, alia urbanorum, tutela eſt vel agnatorum, vel patronorum, vel parentum, vel fiduciaria. Vel ſubjectum per accidentia: v. g. homo alius eſt liber, alius ſervus. Item homo eſt vel nobilis, vel plebejus. Vel accidens per accidentia v. g. actio eſt vel directa vel utilis. Item contractus eſt vel unilateralis vel bilateralis. Eſt vel bonæ fidei

vel

vel ſtricti juris. Falſum eſt vel verum falſum, vel quaſi tale.

§. III.

Requiſita diviſionis ſunt hæc 1) partes debent conſentire cum toto, id eſt, non debent evertere totum. Ratio eſt, quia diviſio dividit totum in ſuas partes, partes autem non evertunt totum, ſed id conſtituunt. Sic inepta eſt aurigarum diviſio, qua blaſphemiam dividunt in licitam & illicitam, ſed eo ipſo, quod eſſet licita, non eſſet blaſphemia, 2) membra dividentia non debent eſſe inter ſe ſubordinata, ſed oppoſita, ſed non ſemper in concreto, ſaltem in abſtracto v. g. virtus intellectualis dividitur in intelligentiam, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam & artem, quæ membra ſunt oppoſita & tamen jurisprudentia dicitur ſcientia in definitione jurisprudentiæ. Sed jurisprudentia eſt ſcientia in concreto & materialiter, formaliter & in abſtracto ſunt oppoſita; quia jurisprudentia quatenus docet & demonſtrat ſua præcepta ſive leges per cauſas & rationes, atque ita vim & poteſtatem legum inveſtigat, atque applicationis ſuæ rationes reddit,

catenus est scientia, quatenus vero secundum rationes applicat, est prudentia. Sic quoque justitia dividi solet in universalem (quæ est complexus omnium virtutum moralium, & sic includit justitiam particularem) & particularem, quæ divisio non videtur bona; quia non continet membra opposita: Sed Resp. quod justitia universalis includat particularem materialiter, non vero formaliter; nam justitia particularis est inadæquate justitia; inadæquatum autem sub ratione inadæquati dicit negationem aliarum partium, & secundum hanc rationem hæc particularis justitia non includitur in universali, & sic est membrum dividens formaliter ratione negationis. Eodem modo discurrendum, quando comitia dividuntur in universalia & particularia, cum tamen particularia includantur in universalibus; 3) singula membra minus continere debent, quam totum divisum; 4) divisio debet fieri in proxima membra, non remota, v. g. res dividuntur in corporales, & in incorporales, corporales in mobiles & immobiles. Pactum dividitur in publicum & privatum. Sed JCti in hac re non semper observant regulam;

gulam; 5) membra dividentia simul sumpta debent adæquari toti. Et ita non sufficit divisio rerum in mobiles & immobiles; quia deest tertium membrum, scilicet incorporales, nec est divisio immediata. Hinc quoque non est plena divisio rerum humani juris: in communes; universitatis; nullius; singulorum, sed addendum est: publicæ *Zæs. ad tit. ff. de R. D. n. 4.*

§. 112.

Quæritur, an divisio necessario bimembris esse debeat? Resp. divisio fit eo fine, ut res clare & distincte cognoscantur. Sive ergo sit bimembris, sive multimembris, non est curandum, modo distinctæ rerum cognitioni inserviat. Ubi respiciendum est ad conditionem rei cognoscendæ & dividendæ; aliquæ enim res habent multa membra, aliæ tantum duo. In hac ergo re non est superstitioni logicorum inhærendum.

§. 113.

Quæritur quoque, an alterum divisionis membrum negative exprimi possit? Resp. posse; quia sæpe res destituuntur nomine positivo &c. Et in hac re juris

cultori ſcrupulum non eſſe movendum; cum plurimas in jure habeamus tales diviſiones. v. g. jus civile dividitur in ſcriptum & non ſcriptum; donatio in mortis cauſa, & non mortis cauſa, contractus in nominatum & in innominatum &c.

Denique notent juris cultores, quod ob defectum vocum ſæpe ſpecies ſui generis nomine exprimantur addito *To* in ſpecie. v. g. adoptio dividitur in arrogationem & adoptionem in ſpecie. Pignus in hypothecam & pignus in ſpecie. Novatio in delegationem & novationem in ſpecie. Conventio de negotio civili ſecundum LL. romanas dividitur in contractum, & pactum in ſpecie *Struv. jurisprud. rom. germ. for. lib. 3. tit. 1. §. 5.*

CAPVT VI.

DE CONSENTANEIS ET DISSENTANEIS.

§. 114.

De his quidem ſupra §. 2. & 22. actum eſt. Sed ibi tanquam de terminis, hic tanquam de rebus agitur, & forte dilucidius explicatur. Sunt autem

tem consentanea, quæ ita inter se consentiunt seu conveniunt, ut de se affirmari possint. Sic de specie genus & differentia; de definito definitio; de subjecto proprium &c. affirmative prædicari possunt. Dissentanea ergo sunt, quæ ita dissentiunt seu disconveniunt, ut de se negari debeant.

§. 115.

Dissentanea autem seu disparata sunt, quæ essentias habent non subordinatas, sed contra distinctas & realiter diversas, ut homo, brutum. Quæ vel ratione essentiæ tantum dissentiunt, sed in eodem subjecto subsistere simul possunt e. g. consul & syndicus; procurator & advocatus; tutor & advocatus; sunt enim realiter diversa officia, nec consul est syndicus; nec syndicus consul ratione essentiæ; quia tamen hæc duo officia non pugnant inter se, sed utrumque in eodem homine subsistere potest, ideo disparata tantum sunt & diversa, non contraria & adversa. vid. supra §. 22. & sic talia in concreto de se mutuo dici possunt, sed non in abstracto. Dici ergo potest: consul est syndicus; syndicus consul; sed non potest dici: consulatus est syndicatus

tus &c. Vel sunt disſentanea ratione eſſentiæ, & ratione ſubjecti ſimul, quæ ſunt oppoſita & eſſentias habent repugnantes & incompatibiles in eodem ſubjecto, idcirco de ſe invicem nec in concreto, nec in abſtracto affirmari poſſunt, ſed negari debent, uti enim res ſe habet in eſſe, ita etiam in dici & prædicari. Sic actor & reus in eadem cauſa ſunt oppoſita & disſentanea ratione ſubjecti. Nec enim in uno ſubjecto exiſtere ſimul poteſt eſſentia actoris & rei qua talis, hi enim inter ſe pugnant. vid. §. 76. Sic oppoſita ſunt ſervus & liber; conſenſus & disſenſus; conſenſus & renunciatio; conſenſus & error; eſſe in patria poteſtate, & emancipatum; eſſe bonæ fidei & ſtricti juris &c.

§. 116.

Oppoſita vel conſtant utroque membro poſitivo, vel altero negativo. Illa vel ſunt abſoluta, ut duæ qualitates contrariæ v. g. album & nigrum; eſſe bonæ fidei vel ſtricti juris. Vel ſunt reſpectiva, ut duo correlata pater & filius, nemo enim eſt pater, & reſpectu ejusdem filius.

In iis autem, quæ conſtant altero membro negativo, hoc aut pure negativum

vum est, vel privativum & oritur contradictio, quæ versatur inter terminum finitum & infinitum, sive hic forma, sive significatione talis sit, ut doctus, non doctus; testatus, intestatus. Hic respectu impuberis est negativus, respectu puberis privativus; intelligere, ignorare; De his omnibus verum est, quod de se invicem negari debeant, & de quo unum eorum dicitur, de eodem alterum ejusdem partis, aut temporis ratione, eodemque respectu dici non possit. vid. infra in contradictoriis §. 203. Ubi nota, quod terminus negativus denotet absentiam formæ, realitatis, vel habitus, qualitatisve a subjecto non capace. Econtra privativus significet absentiam realitatis, habitus, vel qualitatis a subjecto capace. vid. *Hartung. metaphys. jurid. cap. 2. §. 35.*

LIBER

LIBER SECVNDVS
DE ENVNCIATIONIBVS.

CAPVT I.
DE ENVNCIATIONIBVS SIMPLICIBVS SIVE CATEGORICIS.

ENVNCIATIONES simplices, sive categoricæ constantes immediate subjecto & prædicato sunt vel absolutæ vel exponibiles, vel modales, in quibus considerandæ partes essentiales & affectiones.

SECTIO I.
DE ENVNCIATIONIBVS SIMPLICIBVS SIVE CATEGORICIS SECVNDVM PARTES ESSENTIALES CONSIDERATIS.

§. 117.

ENVNCIATIO est oratio, quæ aliquid affirmat vel negat. Sive, quæ verum vel falsum continet. v. g. mutuum est

est duorum vel plurium in idem placitum consensus (quæ propositio est vera) mutuum est promissi acceptatio (quæ propositio est falsa & absurda). Quando oratio nihil affirmat, vel negat, est non enunciatio, qualis est optativa, imperativa, precativa, interrogativa, admirativa &c. Hinc ista propositio: Titius heres esto, non est proprie enunciatio. Quia tamen enunciatio magis æstimanda ex intentione loquentis quam ex figura verborum, hinc sæpe contingit, ut interrogativa pro negativa habeatur, exemplum *in L. 18. in fin. Cod. de adulter.* reperitur; quod sit negativa, inde colligitur, quia causa non est secuta & deficit causa finalis. Exemplum negativæ quoque exhibetur in *cap. 4. X. de hæreticis.* Talis negativa quoque habetur in *L. 8. §. 3. in fin. Cod. de bon. quæ liber.* Admirativa quoque continet affirmativam in *L. 9. π. de relig. & sumpt. funer.*

§. 118.

Ubi notet juris cultor, quod in una (quoad figuram verborum) oratione quandoque contineantur duæ vel plures enunciationes, quatenus scilicet varias circumstantias complectitur v. g. arbiter pro-

pronunciat: Titius debet dare Cajo 10. calendis Septembris. Quæ pronunciatio, sive enunciatio ita resolvitur: debet dare; & debet dare calendis *L. 23. §. 1. π. de arbr.* ubi dicitur, quod duo sint præcepta. Aliud exemplum: Titius hoc *clam* fecit. *Ante annum* fecit. Quod autem hic duæ contineantur propositiones inde patet, quia in litis contestatione duæ propositiones sunt formandæ.

§. 119.

Proprium enunciationis est affirmare vel negare, utrumque autem dependet a copula principali, cui si præponatur negandi particula *non*, est negativa, si non præponatur, est affirmativa.

§. 120.

Ubi nota, quod jureconsulti maxime in materia probationis propositionem affirmativam vel negativam non ex figura verborum, sed vi & potestate æstimare soleant e. g. testamentum non est validum. Hæc includit alteram: tantum 5. testes sunt adhibiti &c.; filius negans se esse in potestate patria, implicite dicit se esse emancipatum; Qui negat aliquem

posse

posse esse procuratorem, implicite asserit adesse legem eum prohibentem; qui dicit: tu non habes jus altius ædificandi, implicite affirmat sibi competere jus prohibendi &c. vid. *L. 17. §. 1. π. si servit. vindic. & ibi Brunnem.*

§. 121.

Particula ergo negandi, ut sit propositio negativa, principalem copulam afficere debet, & ferri in id, quod quis principaliter negare intendit. Quod si non accurate observetur, juvenes falsa pro veris apprehendunt, vel attoniti reddunturtur, præsertim si in logicis, & materiis addiscendis non satis sunt versati. v. g. si quis dicat: prædicatum semper non est verbum. Si enim *semper non*, accipias pro *nunquam*, falsa est propositio, idcirco particula *non* præponatur particulæ *semper* in virtute negandi istud *semper*, & copulam. Vel *semper* postponatur copulæ, huicque immediate præponatur *non*; nam *semper* pertinet ad prædicatum, sicut plerumque alia adverbia.

§. 122.

Ubi incidenter, necessario tamen nota, quod adverbia significent modum

agendi, adjectiva vero, ex quibus fiunt adverbia, denotent rem ipsam, vel qualitatem rei. Sic alius est partus perfectus natus, alius perfecte natus, ille est, cui nulla pars inesse debita deest. Hic est, qui totus ab utero materno est separatus, & processit in lucem. Alius imperfectus, alius imperfecte natus. Ille enim succedit matri prius defunctæ & transmittit hereditatem postea decedens. Hic non succedit, nec transmittit, si in ipso partu decedat. Aliud est justa agere, aliud juste agere. Hoc significat justa agere ex proæresi, illud rem ipsam absque bona juste agendi voluntate &c. vid. §. 6.

§. 123.

Quia ergo particula negandi debet ferri in principalem copulam, ut sit negativa, idcirco, quando particula *non* ponitur ante subjectum vel prædicatum, vel in eorum medio, non efficit propositionem negativam. Sic hæc non est negativa, princeps debet esse pastor non deglubens oues. Hinc judicabis de hoc syllogismo: quodcunque minori non est concessum cum curatore non impetrata ætatis venia, nec est concessum sine curatore impetrata venia. Sed alienatio im-

immobilium ſine decreto minori non eſt concesſa cum curatore non impetrata venia, ergo alienatio immobilium minori non eſt concesſa ſine decreto impetrata venia, videtur malus ſyllogismus, quia procedit ex meris negativis. Sed Reſp. malum non eſſe; quia minor non eſt negativa, quod inde patet; quia prædicatum minoris non eſt aliud, quam repetitum ſubjectum majoris propoſitionis; ſubjectum autem propoſitionem non facit negativam vel affirmativam. Vel, ut omnis ſcrupulus eximatur, clarius ſic conficias ſyllogismum æquipollentem: quodcunque negotium eſt tale, quod minor expedire non poteſt cum curatore &c. Sed alienatio eſt negotium tale &c. Unde apparet, quod tam prædicatum, quam ſubjectum pluribus vocibus conſtare poſſit. Quic. non habet liberam rerum ſuarum adminiſtrationem (ecce ſubjectum) non poteſt alienare (ecce prædicatum). Quando particula *non* ponitur in initio vel in medio ſubjecti, & afficit ſubjectum, eſt propoſitio ſubjecti infiniti. Quando vero afficit prædicatum (non copulam principalem) eſt prædicati infiniti, non vero propoſi-

tio negativa. v. g. reſcripto ſuper illicitis impetrato paretur non impune (eſt prædicati infiniti) Reſcripto ſuper illicitis impetrato non paretur impune *lib. 12. cod. tit. 34. L. f. in fin. & ibi Brunnem.* (eſt negativa) ſed reſpiciens intentionem loquentis puto bene ſic reſolvi: Reſcripto ſuper illicitis impetrato non parere non eſt punibile. Reſcripto ſuper illicitis impetrato parere eſt punibile.

§. 124.

Particulæ negandi ſunt: *non; nihilo magis* v. g. quando dicitur *§. 10. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. defer.* emancipati, quantum ad naturalis patris bona attinet, *nihilo magis* liberorum gradum nanciſcuntur, hoc eſt, non nanciscuntur. vid. *pr. Inſt. quib. non eſt permiſſum fac. teſtam. minus* quandoque negat *L. 7. §. 2. π. de tribut act. l. 32. π. de verb. ſignif. minime* quoque negat.

§. 125.

Ubi nota, quod negativa fortius neget, quam affirmatina affirmet. Hinc quando duo privilegia concurrunt, alterum affirmativum, alterum negativum, hoc illo eſt potentius vid. exemplum apud *Brunnem. ad L. 4. cod. de milit. teſtam.*

§. 126.

§. 126.

Dictum est supra §. 121. quod particula negandi principalem copulam afficere debeat, ut efficiat propositionem negativam, afficit autem principalem copulam, cum ei præponitur, nam non ante, sed post se negat. Præponitur autem 1) immediate, cum expresse copulæ præponitur. v. g. condictio certi ex mutuo non est bonæ fidei, vel 2) cum verbo adjectivo includenti copulam præponitur v. g. actio negatoria non oritur ex servitute (id est, non est oriens ex servitute) 3) cum mediante signo quantitatis præponitur copulæ, ita, ut cum eo coalescat. v. g. nullus vir vere doctus est superbus. Vel signo quantitatis præponitur. e. g. non omnis bonæ fidei possessor fructus omnes facit suos, (id est aliquis bonæ fidei possessor non facit fructus omnes suos *L. 45. ff. de usur.*) 4) cum præponitur subjecto in virtute negandi, & sic mediante subjecto respicit copulam. e. g. non princeps (bonus) vult alicui jus suum auferre. Hæc propositio potest alicui videri ambigua, & ita intelligi: omnis qui princeps non est, vult alicui jus suum auferre. Sed quia intentio dicentis plus valet,

quam positus vocabulorum *L. 7. π. de suppell. leg.* dexter Juris Studiosus ex *pr. Instit. proœmii*, ubi princeps dicitur juris religiosissimus. Et ex *rescripto Antonini Imper. §. 2. Instit. de his qui sui vel alien. jur. sunt*, ubi dicitur, oportere nemini jus suum auferri, facile intelliget particulam *non* referendam esse ad *vult*, ut significet: *princeps non vult*.

§. 127.

Ubi notandum, quod duæ negationes principalem copulam respicientes se mutuo negent, & fortius affirment. e. g. prætor non potest non minorem læsum restituere in integrum (quæ propositio *fere* idem significat: prætor necessario minorem læsum restituit) ubi una negatio ornatus gratia solet copulæ præponi, altera postponi. Sicut autem duæ negationes affirmant, ita tres negant, quando respiciunt unam copulam. vid. *Hartung. ad Brunnem. enchirid. logic. jurid. lib. 2. membr. 1. cap. 1. §. 42.*

§. 128.

Dictum est, negationem afficere debere principalem copulam, ut sit negativa; quia vero alia est copula in simplicibus

cibus sive categoricis, alia in compositis, ideirco diversimode fit negatio. Hic agimus de simplicibus sive categoricis. De compositis agemus sequenti capite. Simplex sive categorica propositio est, quæ immediate constituitur ex prædicato & subjecto, & in qua prædicatum de subjecto simpliciter dicitur, vel negatur, constituiturque ex nominibus & verbis.

§. 129.

Nomen est vox ex instituto sine tempore aliquid significans, cujus nulla pars seperatim significat, v. g. homo; brutum; nox; vox; dux; lux. Verbum vero est vox significans cum tempore, cujus nulla pars significat seperatim, semperque nota est eorum, quæ prædicantur, id est, verba, quando ut *verba* pronuntur, prædicata constituunt, nam prædicatum non semper est verbum, nec verbum semper est prædicatum. v. g. qui scribit, est literarum peritus. Dicitur: *cum tempore*, quod ita intellige; verbum significat aliquam actionem fieri in tempore vel præsenti; vel præterito; vel futuro. Sic ergo actio est principale significatum, tempus est adsignificatum

sive secundarium significatum e. g. scribo, significat actionem in præsenti tempore. Unde patet differentia nominum, licet enim quædam tempus significent; ut annus; mensis; dies; hora, non tamen significant actionem fieri in tempore; & licet quædam significent aliquid fieri in tempore, ut cæna, non tamen significant actionem fieri in præsenti, præterito, vel futuro tempore. De cetero nomen & verbum (hoc quod tale, non qua tale) potest esse prædicatum & subjectum pro intentione loquentis.

§. 130.

Nomen est vel finitum, quod rem certam sine alicujus termini negatione significat. e. g. princeps; vel infinitum, cui præposita particula: *non*, facit, ut nomen istud omnibus rebus accommodari possit, præter illam rem, quæ per vocem significatur, exemplum vid. §. 126. accommodatius: non princeps est subditus, id est, omnis in republica vivens est subditus; princeps non est subditus. Fur non jure possidet, id est fur quidem possidet, sed nec jure dominii; nec pignoris; nec pro herede, nec pro lega-

to &c.

to &c. Qui metu gravi mihi rem extorsit, nullo jure possidet (est propositio prædicati infiniti; quod inde patet; quia ita resolvitur: est nullo jure possidens) hinc me mortuo heredi meo adversus extorquentem datur hereditatis petitio *L. 14. §. 2. π. quod met. caus.*

§. 131.

Partes propositionis principales & necessariæ sunt duo extrema & copula sive nexus, extrema sunt subjectum & prædicatum, quæ duo nectit copula, quæ dicitur subjectum quo affirmationis vel negationis (prout est simplex vel affecta negatione) & est forma propositionis. Dicuntur *extrema*, vel termini propositionis; quia terminant propositionem, subjectum, tanquam terminus a quo; prædicatum tanquam terminus ad quem. Dicuntur *partes principales*. Nam quæ istis partibus accedunt tanquam determinationes, sequuntur suum principale, nec constituunt propositionem affirmativam, vel negativam. e. g. quia dominus non habet liberam rerum suarum administrationem, non potest alienare. Hic dominus est subjectum, sequentia vo-

cabula ei accedunt & determinant, hinc non potest dici subjectum continere propositionem negativam, qua in re Doctos aliquando audivi pernicioſe errare irridentes syllogismos affirmativos, quasi negativi essent, quam publicam irrisionem si opponentes ex his principiis avertere & in irrisorem convertere potuissent, libentissime quadruplum honorarii pro collegio logico solvissent.

§. 132.

Quodnam sit subjectum vel prædicatum colligitur 1) ex positu vocum; nam subjectum logice considerando in enunciatione præponitur. Sed oratores & JCti, item poëtæ, sæpe hunc ordinem mutant, hinc 2) colligitur ex intentione loquentis vel scribentis, ex contextu, & locis parallelis, quid de quo enunciare velit, quid alteri inesse dicat, judicandum esse de prædicato & subjecto e. g. *quatuor aut infra natis dant jura trientem*, id est, jura dant trientem liberis quatuor aut paucioribus. *Arbitrium sequitur substantia cetera patris*, id est cetera substantia sequitur arbitrium patris. *Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri*, id est, parta tueri est non minor virtus, quam

quam quærere, *principis est virtus maxima nosse suos*, id est nosse suos, est virtus principis maxima. Sic JCti sæpe mutant ordinem e. g. *curatores pro lubitu sibi ipsi petunt minores*, id est minores petunt pro lubitu sibi tutores. *Non admittendus in actione injuriarum libellus, in quo injuriæ verbis manifestis non exprimuntur*, id est, libellus, in quo injuriæ manifestis verbis non exprimuntur, non est admittendus in actione injuriarum. *Testamentum facere non possunt impuberes*, id est, impuberes non possunt facere testamentum: *Dolum solum recipit depositum*, id est, depositum recipit solum dolum.

SECTIO II.

DE AFFECTIONIBVS ENVNCIATIONVM, ET QVIDEM DE SVPPOSITIONE.

§. 133.

SVBJECTI & prædicati certæ sunt affectiones, quæ vel subjectum, vel prædicatum, vel utrumque respiciunt. Subjectum potissimum, & fere tantum respiciunt suppositio, ampliatio, status & distractio.

§. 134.

§. 134.

Suppositio est acceptio termini in enunciatione positi pro ea re, quam significat. Dicitur in enunciatione, quia in ea proprie suppositio est, ubi ex prædicato colligitur, pro quibus subjectum supponat; talia enim sunt subjecta, qualia relinquuntur a suis prædicatis, & talia sunt prædicata, qualia relinquuntur a suis subjectis.

§. 135.

Suppositio est vel materialis, vel formalis. Materialis est acceptio vocis pro se ipsa, vel quatenus constat literis & syllabis v. g. *homo*, est vox bisyllaba; in hac propositione *tò homo* est subjectum, *tò homo* supponitur materialiter. *Der Stadtschreiber kan weder lesen, noch schreiben.* tò, vel ly, vel voces: *weder lesen noch schreiben*, supponuntur materialiter pro literis & nudis verbis; literæ enim & syllabæ collectæ sunt materia vocum. Suppositio formalis (quia significatio est forma vocis) est acceptio termini pro certa re, quam ex instituto & impositione hominum significat. Hæc est vel communis vel singularis (quam aliqui discretam appel-

appellant) Illa est acceptio termini communis pro re universali. Hæc est acceptio termini singularis pro re singulari. v. g. Petrus; Alexander &c.

§. 136.

Illa dividitur in simplicem, absolutam, et personalem. Simplex est acceptio termini communis pro suo immediato significato, exclusis omnibus inferioribus ita, ut inferius nullum subsumi possit (potest dici acceptio termini in abstracto vel acceptio termini ut sic) e. g. homo est ultima species; dominium est species intermedia immediata juris in re. Donatio est genus immediatum (materialiter) liberalitatis, ubi ex prædicato colligo, quod homo; dominium; donatio accipiatur pro immediato significato, sive natura hominis; Dominii, donationis, sive pro homine &c in actu signato non pro Petro; Paulo &c. (hinc termino simpliciter supponenti non potest præponi signum syncategorematicum; omnis; aliquis &c.) Est enim immediatum significatum ipsa communis, rei natura, qua mediante per vocem significantur individua. Quid de hac propositione judicandum: Petrus est species hominum?

Resp.

Resp. accipitur prædicatum pro specie singulari & stoica, quod colligo ex subjecto. Et huc pertinet, quando JCti dicunt: debitor speciei interitu fortuito liberatur.

§. 137.

Suppositio absoluta est acceptio termini pro immediato significato potissimum & ex principali intentione loquentis, non exclusis inferioribus, nec tamen principaliter comprehensis, v. g. dominus liber potest alienare, hic principaliter natura dominii communis intelligitur, & descendere licet ad inferiora, sed hoc principaliter non intenditur a loquente. Talis quoque suppositio est in sequente propositione. Condictio ex Lege est terminus technicus.

§. 138.

Suppositio personalis (sic dicitur ratione termini ad quem; quia in illa licet descendere usque ad personas singulares & individua inclusive) est acceptio termini pro suis inferioribus, sive significatis mediatis. (nam terminus communis immediate significat naturam communem, deinde mediate contenta sub ea) Et

Et quidem terminus communis accipitur pro omnibus absolute significatis mediatis e. g. omnes homines obligantur lege divina, vel tantum pro quibusdam e. g. omnes populi legibus a nobis promulgatis reguntur §. 1. *Inst. proœm.* ubi intelliguntur subditi imperii romani. Res publicæ sunt, quarum usus patet omnibus (scilicet qui sunt ex illo populo) §. 2. *Inst. de R. D. & A. E. D. Vinn. ad dict. §. verb. jus piscandi omnibus commune.* Ubi nota, quod universalis propositio non semper universaliter & illimitate intelligenda sit, sed determinari, temperari, & coerceri debeat juxta naturam, conditionem, qualitatem, aptitudinem personarum, rerum, negotiorum, temporis, loci aliarumque circumstantiarum, quæ universali sermoni sese accommodarunt.

§. 139.

Aliter dividitur suppositio in distributivam, collectivam, determinatam & vagam sive confusam; quarum divisionum intellectus dependet a cognitione descensus, qui est quadruplex, copulativus, copulatus sive collectivus, disjunctivus & disjunctus. Quando nunc possum

ſum ſub voce communi deſcendere ad inferiora, ita, ut de ſingulis (ſive ſpeciebus, ſive indiuiduis) totum prædicatum (quod de termino communi dicitur) affirmari vel negari poſſit, eſt deſcenſus copulativus, & vox communis accipitur diſtributive, ſive diſcendere liceat usque ad individua, ſive tantum ad proximas ſpecies, quod ex ſubjecta materia facile intelligitur e. g. omne animal fuit in arca Noæ, hic deſcendo ſic: ergo equus fuit ibi; vacca fuit ibi, canis fuit ibi &c. Sed non licet ſic deſcendere; ergo meus canis &c. fuit ibi. Sic quoque deſcendo: omnis morbus a Chriſto eſt ſanatus; ergo peſtis eſt ſanata; paralyſis eſt ſanata; febris eſt ſanata. Idem eſt de aliis morbis tum temporis in Palæſtina ſuetis. Sed ſic non deſcenditur: ergo hæc febris eſt ſanata; illa in individuo febris eſt ſanata. Sic in hac propoſitione: omne jus continetur in corpore juris Juſtinianei, licet deſcendere: ergo in eo continetur jus naturale; continetur jus gentium, continetur jus civile *§. fin. Inſtit. de juſtit. & jur.* Sed non licet deſcendere: ergo jus Lubecenſe; Culmenſe; Saxonicum &c. continetur. In his licet tantum deſcendere

dere ad proximas ſpecies, non ad individua, ut per ſe patet. Alia exempla, ubi licet deſcendere usque ad individua, ſunt ſequentia. Omnis homo eſt animal; ergo & Petrus eſt animal; ergo & Paulus eſt animal. O. ſervitus rerum rem afficit; ergo etiam uſusfructus rem afficit, & uſusfructus in hac re individua competens rem afficit. Ergo & iter rem afficit, & in hac re individua competens iter rem afficit &c.

§. 140.

Unde apparet, quid ſit ſuppoſitio diſtributiva, quando ſcilicet terminus communis accipitur pro ſignificatis mediatis, ita, ut prædicatum tributum termino communi tribuatur in ſolidum inferioribus ſingulis per deſcenſum copulativum. Apparet quoque quid ſit ſuppoſitio pro ſingulis generum, quando ſcilicet usque ad individua deſcendi poteſt, & quando terminus communis accipitur pro ſingulis, quæ ſub generibus continentur. Quid ſit ſuppoſitio pro generibus ſingulorum, quando ſcilicet ad proximas ſpecies, non ad individua deſcendi poteſt. Sic ergo terminus communis ſupponitur, vel accipi-

cipitur pro generibus, quæ singula vel individua sub se comprehendunt.

§. 141.

An autem terminus communis distributive supponatur, colligitur ex iyncategoremate omnis (in singulari) quisque; quisquis; quilibet; uterque (quæ propterea etiam inducunt correalem obligationem e. g. quilibet vestrum dabitisne mihi 10.? Resp. dabimus. *Lauterb. colleg. theor. pract. de duob. reis §. 12.* Titium & Cajum utrumque constituo procuratorem, vel utrique eorum mando, quo casu uterque in solidum est constitutus *Brunnem. ad L. 32. π. de procur.*) vid. *Zœs. ad tit. π. de vulg. & pup. substit. n. 47.*

§. 142.

Ubi nota, quod in propositione negativa etiam descensus copulativus sub prædicato fieri possit & suppositio distributiva locum habeat. e. g. homo, (vel Petrus) non est brutum; ergo nec canis, nec lepus; nec equus &c. Bucephalus non est homo; ergo nec hic, nec ille &c. homo.

§. 143.

Est autem suppositio vel simpliciter talis,

talis, vel cum exceptione talis. In illa ad omnia simpliciter inferiora sine exceptione descendere licet. Hæc restrictam universalitatem habet, & admittit exceptionem. v. g. in *nov. 49. cap. 3.* dicitur: *ab omnibus personis juramentum calumniæ generale exigitur.* & tamen excipiuntur parentes & patroni *L. 7. §. 3. π. de obseq. parent. & patron. præst.* Usufructuarius omnem curam adhibere debet *L. 1. §. f. π. usufr. quemadm. caveat.* Ubi intelligitur omnis generis cura. v. g. debet rem costodire, lapsa reficere, in locum demortuarum arborum, vel ovium alias substituere, cavere, ne servitutes præscribantur, non vero intelligitur maxima & summa diligentia juxta *L. 65. princ. π. usufr. & quemadm. &c.* Quicunque habet emolumentum successionis, habet onus tutelæ *L. 1. π. de legit. tutor.* ubi intelligitur quicunque idoneus *§. un. Inst. de legit. patron. tut. alleg. L. 1. §. 1.*

§. 144.

Sequitur descensus copulatus & respondens suppositio collectiva. Est autem descensus copulatus, quando sub termino communi descendo ad inferiora

(explicite vel implicite) & de omnibus simul; collectim & congregatim sumptis unum enuncio prædicatum; vel iis simul & collectim sumptis idem subjicio subjectum e. g. omnes libri institutionum justinianearum sunt quatuor. Ubi ita descendo: ergo, 1. 2. 3. 4. libri simul sumpti sunt quatuor, sed non recte dico: primus liber est quatuor; Secundus est quatuor. Item elementa sunt quatuor, ergo ignis, aër, aqua & terra collectim & quasi in unum fasciculum sumpta, sunt quatuor, ubi ignis, aër, aqua & terra sunt per modum unius & constituunt unum subjectum. Unde apparet quid sit suppositio collectiva, est scilicet acceptio termini communis pro omnibus inferioribus simul & collectim, quasi in unum fasciculum sumptis.

§. 145.

Hæc res manifestum habet usum in jurisprudentia; Nam quando ex diversis familiis vel lineis aliqui instituuntur heredes, unus proprio alii collectivo nomine hac forma: primus, & fratris mei liberi heredes sunto, primus in semisse, filii fratris in altero semisse, heredes fiunt

L. 13.

L. 13. princ. π. de hered. instit. vid. *Zœs. ad tit. π. de vulg. & pupil. substit. n. 47.* quia hi collective sunt vocati, & unam personam repræsentant, quasi dixisset testator: primus heres erit, & Titius, Cajus, Mævius fratris filii simul, & permodum unius sumpti heredes sunto. Idem est, quando testator fratrem, & fratris vel sororis liberos instituit *Coccej. jur. controv. part. 2. lib. 28. tit. 2. & 5. q. 12.* verb. *sed quid dicendum &c.* vid. *Berg. œcon. jur. lib. 2. tit. 4. th. 12. not. 4.* Ex his intelligi potest *L. 9. π. de vulg. & pupill. substit.*

§. 146.

De cetero nota, quod in hac suppositione *tò* omnia; vel omnes, non sit syncategorema indicans universalitatem, sed sit pars subjecti, & talis propositio sit singularis.

§. 147.

Descensus disjunctivus locum habet in propositionibus particularibus affirmativis vel negativis, & fit per particulas disjunctivas *vel, aut*, integras propositiones disjungentes atque indicantes aliquid eorum determinate verum esse e. g. aliquis contractus realis est stricti juris;

ubi ita descendo, vel mutuum est stricti juris; vel commodatum est stricti juris, vel depositum est tale, vel pignus; (quæ propositiones determinate veræ sunt in mutuo). Quædam actio realis non datur adversus quamvis possessorem; ergo vel rei vindicatio, vel confessoria, vel hypothecaria; vel hereditatis petitio non datur adversus quemvis possessorem (quæ propositiones determinate veræ sunt in hereditatis petitione) unde intelligitur suppositio determinata, quæ est acceptio termini communis pro certo quodam inferiori, sub quo descendo disjunctive. Sic ergo dicta propositio: aliquis contractus realis est stricti juris, supponit determinate, sive subjectum accipitur in suppositione determinata.

§. 148.

Disjunctus descensus est, quando in propositione particulari descendo ad omnia inferiora, & de iis simul sumptis, quasi in unum fasciculum alternative redactis, semelque per particulam *vel*, *aut* disjunctim acceptam enuncio unum idemque prædicatum e. g. aliquis servus est mihi legatus. Ubi sic descendo: ergo vel Stichus, vel Pamphilus, vel Glycon

con &c. (quasi in unum fasciculum redacti) est mihi legatus. Ubi Stichus, Pamphilus &c. unius subjecti locum sustinent, unde vage, confuse, & indeterminate accipiuntur quasi in solle. Hinc liquet, quæ sit suppositio vaga, confusa & indeterminata, scil. in dicta propositione: *aliquis servus*, accipitur pro aliquo non certo, sed indeterminato servo. Unde, qui aliquem servum debet, interitu fortuito unius non liberatur. Liquet etiam, quod idem sit, si quis debeat vel Stichum vel Pamphilum.

SECTIO III.

DE

STATV, DISTRACTIONE, AMPLIATIONE, APPELLATIONE ET RESTRICTIONE ATQVE QVANTITATE PROPOSITIONVM SIVE ENVNCIATIONVM.

§. 149.

AGENDVM nunc est de statu, distractione, ampliatione, appellatione & restrictione enunciationum. In statu accipitur propositio: 1) quando principalis copula idem tempus adsignificat, quod exprimit subjectum e. g. Petrus

(qui præsenti tempore existit) currit (scilicet in præsenti) quando autem subjectum exprimit aliud tempus, quam principalis copula repræsentat, dicitur accipi in distractione, e. g. thesaurus pertinet ad inventorem. Ubi dicitur thesaurus a præterito, licet verbum: *pertinet* significet præsens. Res furtiva potest usucapi purgato vitio. Dicitur *res furtiva* a præterito, *potest*, significat tempus præsens. Pupillus finita tutela agere potest. Ubi dicitur pupillus, non, quod nunc sit, sed a præterito. vid. *Lauterb. p. 208. de condict. sine caus.* in medio ibi: *æquum enim est, restitui mihi rem meam, quæ est apud alium sine causa.* Ubi dicitur res mea a præterito. 2) Quando in uno subjecto concreto concurrunt diversæ qualitates, sive potentiæ activæ (vel passivæ) cui subjecto tribuitur prædicatum secundum aliquam qualitatem. Si nunc eadem qualitas intelligitur in subjecto & prædicato, dicitur subjectum accipi in statu: e. g. imperator imperat Germaniæ, ubi *imperator* accipitur secundum qualitatem imperatoriam, *imperat* Germaniæ secundum eandem qualitatem. Item: tutor tuetur pupillum. In quibus per particulam:

qua-

quatenus, possum repetere subjectum v. g. imperator, quatenus est imperator, imperat Germaniæ; tutor, ut tutor tuetur pupillum. *Quatenus*, *ut*, exprimunt rationem, secundum quam prædicatum competit subjecto. Quando vero subjectum explicite aliam repræsentat qualitatem, quam in prædicato intelligitur, dicitur accipi in distractione, vel ampliatione: e. g. imperator imperabat Hungariæ. Ubi in subjecto intelligitur concretum, in quo concurrit imperatoria & regia Hungarica majestas, in prædicato intelligitur qualitas regis Hungariæ. vid. supra §. 17. & hæc potest dici ampliatio secundum formam. Ampliatio est, quando plures temporis differentiæ intelliguntur in subjecto, quam copula exhibet: e. g. omnis dominus liber potest alienare, ubi: *potest*, stat pro præsenti, omnis dominus liber pro præteritis, præsentibus & futuris; de istis enim fit ista enunciatio utpote propria, vel essentialis, quæ abstrahit a temporis differentia. Quod contingit in omnibus ejusdem rationis, & aliis, quæ similem habent necessitatem ex lege.

§. 150.

Appellatio est affectio prædicati denominativi, qua hoc subjectum denominat. v. g. Petrus est doctus, vel est affectio qua una vox denominat aliam. Ubi bene advertendum, quid a quo denominetur. Nam in hac propositione: jus naturale proprium est omnium animalium. *Proprium* non denominat jus naturale; quasi in animalibus omnibus sit proprie dictum jus naturale. Sed dicta vox: *proprium est*, idem significat ac; *pertinet*. Denominatio alia est realis, quando denominans aliquid reale est, ut: Titius est doctor. Alia rationis. v. g. homo est species; subjectum; prædicatum, quas denominationes accipit a ratione nostra. 2) Alia intrinseca, quando denominans inest denominato, alia extrinseca, quando forma denominans non inest denominato v. g. Titius laudatur, honoratur: honor enim non est in honorato, sed in honorante. 3) Quando subjectum etiam est denominativum, dividitur in 4) eam, quæ fit secundum formale subjecti denominati & parit sensum compositum, & exponi potest per particulam reduplicativam *quatenus*, *qua talis*. v. g.

Judex

Judex judicat. Ubi formalis ratio judicandi tribuitur judici secundum formalem rationem judicis. Sive Judex quatenus Judex judicat. Ubi est sensus compositus. Architectus ædificat. Id est architectus qua talis, & secundum rationem, qua est architectus; sive secundum artem, quæ influit in ædificationem, ædificat. Ubi est sensus compositus. Tutor res pupilli administrat; hic est sensus compositus. Ambulans necessario ambulat, scil. in sensu composito, & dum ambulat. 5) In eam, quæ fit secundum materiale subjecti, & parit sensum divisum. e. g. consiliarius ædificat. Ubi intelligitur consiliarius materialiter, sive concretive, & qui est talis; est ergo hic sensus divisus. Item: medicus jus dicit, scilicet in sensu diviso. Vel medicus, qui est simul consul & judex, jus dicit, & sic medicus, qui est talis medicus, & sic in concreto jus dicit. Alio modo solent logici describere sensum compositum, quando scilicet denominativum formaliter sumptum tribuitur denominativo formaliter sumpto. Sensum vero divisum sic: quando denominativum formaliter sumptum tribuitur denominativo materiali-

rialiter sumpto. Alio sensu sensus compositus accipitur, ut idem significet, ac in concreto, sensus diuisus idem sit, ac in abstracto. Ita consiliarius in concreto, sive sensu composito, quatenus scilicet adjunctam habet peritiam ædificandi, ædificat. Sed in abstracto, quatenus scilicet rationem consiliarii abstraho, & divido atque per intellectum separo a peritia ædificandi considerando solam rationem consiliarii, non ædificat; quia ratio consiliarii non influit in ædificationem. Sic quoque magnus Dux Tusciæ in concreto (sensu composito) imperat Germaniæ, sed non in abstracto, sive sensu diviso. vid. §. 17.

§. 151.

Tam subjectum, quam prædicatum respicit restrictio sive limitatio, quæ est coarctatio a majore significatione ad minorem, ita, ut terminus communis per additam vocem ad pauciora inferiora, vel secundum pauciores temporis locorumque differentias accipiatur. Ubi observandum, quod vox restringens addi debeat termino restringendo Fit fere quatuor modis 1) per conjunctionem nominis adjectivi: e. g. omnis dominus *Liber*

ber poteſt alienare. 2) Per appoſitionem relativi. Ut: omnis populus, qui imperio noſtro gubernatur. Sacerdoti eccleſiæ, qui eſt meus cognatus, lego tot. Vel, ſi iſtud: *qui*, non exprimat, tacite tamen teſtator videtur reſtrinxiſſe ad cognationem & perſonam ſacerdotis *cap. 15. X. de teſtam. Brunnem. ad L. 2. in fin. de reb. dub. ad L. 20. de ann. legat.* 3) Per appoſitionem nominis proprii: e. g. lego ſacerdoti eccleſiæ ſempronio. 4) Per appoſitionem obliqui: e. g. lego Titio amphoram vini ex vinea tuſculana. Ex iſto dolio &c. 5) Per appoſitionem ſubſtantivi inferioris: e. g. civitas Roma; vel alterius particulæ reſtrictivæ v. g. ſcilicet, videlicet, nimirum &c. Ut: lego Titio omnia mea bona videlicet mobilia et immobilia. De cetero, quando generali in alicujus favorem diſpoſitioni additur enumeratio ſpecierum, generalitas non reſtringitur: e. g. lego fundum cum inſtrumentis, additis deinde ſpeciebus, non reſtringitur legatum, ſed expreſſio ſpecierum videtur majoris declarationis cauſa facta per *cap. odia 39. X. de reg. jur.* vid. *comp. Lauterb. lib. 20. tit. 1. in D.* Hanc propoſitionem: lego Titio uſumfructum

pro

pro indigentia sua, esse restrictivam non dubitatur. Sed an legatus sit usus, an ususfructus? quæritur. *Carpz.* putat usum esse legatum *part. 3. const. 3. d. 4.* quod negat *Stryk us. modern. ad tit. de usu & habit. §. 3.* inquiens: puto hanc sententiam ita temperandam, ut minus usufructu, plus autem usu hac ratione legatum censeatur; usuarius enim naturalibus tantum fructibus, non industrialibus uti potest *L. 12. §. 2. de usu & habit.* nisi quantum ad victum sufficit *L. 12. §. 1.* Sed ususfructus ad necessitatem concessus etiam amictum continet, ut & alia ad vitæ necessitatem pertinentia &c.

§. 152.

Restrictioni contraria est ampliatio sive extensio, qua per additam vocem denotatur terminum pro pluribus accipi posse, quam absolute positus acciperetur: e. g. femina etiam prudens & sagax habet exceptionem Scti Vellej. Venditor, etiam prudens & ad res suas attentus, læsus habet beneficium *L. 2. cod. de resc. vend.* JCtis latius adhuc accipitur ampliatio pro extensione prædicati ad plura subjecta: e. g. minor habet restitutionem

tionem in integrum. Ecclesia quoque habet restitutionem in integrum. Civitas quoque habet; quia gaudent jure minorum. Sic in jure, quæ de pupillo statuta sunt, extenduntur ad ecclesiam, ad minores, ad rempublicam &c. Hinc in jure sæpius argumenta a similibus sumuntur (quandoque tamen infeliciter, quando dictum argumentum fit in jure singulari sine expressa lege) sic sumitur argumentum a servo ad monachum; a liberto ad vasallum; a contractibus ad judicia; a dote ad piam causam. Quæ *Hartung. in nota ad enchirid. leg. jurid. Brunnem. lib. 2. membr. 1. cap. 1. §. 39.* habet non curo, sed sequor Illustr. *Henr. Coccej. jurispubl. prud. cap. 29. §. 17. seqq. & §. 21. seqq.*

§. 153.

Proprium quoque propositionis est quantitas, quæ est denominatio subjecti a potentia subsumendi inferius, vel impotentia, pro ut ex signo subjecto præpositio colligitur. Est vel universalis, vel particularis vel singularis.

§. 154.

Universalis est, quæ subjecto habet præ-

præpositum signum universale significans prædicatum competere omnibus sub subjecto contentis, ad quæ per descensum distributive descendi potest, id est, ita, ut totum prædicatum singulis inferioribus per integras propositiones tribui possit. Sunt autem signa universalia: omnis, nullus; nemo; quisquis; quilibet e. g. omnis obligatio tollitur solatione ejus, quod debetur. Omnis noxalis actio caput sequitur. Nulla actio nascitur, si servus domino noxiam commiserit §. 5. *Instit. de nox. act.* Omnes artifices metiuntur *can. 12. dist. 88.*

§. 155.

Notandum autem est 1) signa subjectum, & quidem totum afficere debere. Ubi tamen advertendum est, quid sit subjectum, quid prædicatum, & quid ex parte subjecti se habeat, tanquam illius affectio, quid ex parte prædicati; nam relativa per modum unius se habent cum eo, quod referunt. De cetero particularitas, vel universalitas desumitur ex ipso signo subjecti, non ex eo, quod ex parte subjecti in obliquo se habet; nec quod ex parte prædicati se tenet. Unde

notan-

notandum 2) adverbia proprie non facere propositionem universalem vel particularem; quia universalitas vel particularitas non aliunde desumitur, quam ex signo subjecti. Hinc universalis proprie non est; quidam homines semper male agunt. Dico proprie; nam improprie particula: *semper* includit universalem affirmativam, & sui natura casuum regularitatem & perpetuitatem inducit, ac infinitum significat, & pro omni tempore & casu exponitur *Naurath. ad Zæs. tit. cod. de pact. inter empt. & vend. in not. h*) De cetero particulam: Omnis, collective sumptam non facere universalitatem satis intelligis ex §. 144. & 146. Hoc tamen præterire nolo, quod etiam universalis sit propositio, quando fit suppositio pro generibus singulorum: e. g. omne animal fuit in arca Noæ. Omne jus in re habet speciem infimam. Ubi descendo; ergo Dominium habet speciem infimam; servitus habet speciem infimam; hereditas habet &c. pignus &c. vid. §. 139. & 140.

§. 156.

Particularis propositio est, quæ subjecto additum habet signum particulare,

sive ante, sive post ponatur: e. g. non quilibet bonæ fidei possessor facit fructus (qui non ex facto ejus nascuntur) suos. Qui dictam propositionem faciunt universalem negativam in *L. 45. π. de usur.* ridiculi sunt in Logica, & Jurisprudentia. Pertinet autem ista Lex ad eum b. f. possessorem, qui non habet titulum jure probatum, ut ipsa lex suo exemplo docet. Aliquis contractus unilateralis est bonæ fidei. Signa particularia sunt: quidam; aliquis; pauci; plerique; plures; non omnes; nonnulli; alteruter &c.

§. 157.

In particulari autem propositione subjectum sumitur pro inferiore vel certo, quod certum est ex parte rei & animi proferentis, ut quidam homo est salvator: vel quod in re ipsa quidem certum est, sed non in animo proferentis. Ut: quidam monachus inuenit purgatorium: vel quod nec in animo, nec in re certum est, ut quædam navis est necessaria ad navigandum. vid. §. 141.

§. 158.

Notetur, particulam non præpositam signo quantitatis mutare ejus quantitatem

tem & qualitatem. Postpositam vero mutare ejus qualitatem: e. g. omnis novatio est prioris debiti in aliam novam obligationem transfusio. Hæc est universalis affirmativa. Non omnis novatio est prioris debiti in aliam novam obligationem transfusio. Hæc est particularis negativa. Omnis novatio non est prioris debiti &c. Hæc est universalis negativa: ergo, altera: non omnis novatio non est prioris debiti &c. debet esse particularis affirmativa. Et hæc sufficiant studioso juris pro æquipollentiis formalibus propositionum, ut non opus sit de his infra amplius tractari.

§. 159.

Indefinita propositio est, quæ constat subjecto natura sua communi: (non tamen semper in propositione ut commune accipitur, v. g. homo est species:) nullumque habet signum quantitatis e. g. Dominus liber potest alienare. Mandatarius præstat culpam leviſſimam. Homo est doctus. vid. §. 137. Et talis propositio revocari potest ad universalem & particularem, prout subjecta patitur materia. Nam quando subjectum ne-

ceſſariam habet connexionem cum prædicato (ſive connexio oriatur ex natura, ſive lege,) indefinita æquipollet univerſali; cum enim ſubjectum, indefinite prolatum neceſſario cohæreat prædicato, imo etiam ipſum prædicatum ſubjecto inſit neceſſario ſaltem inadæquate, omne cohærere & prædicatum omni ſubjecto ineſſe neceſſe eſt. Quando ergo genus; differentia; ſpecies; proprium; tota definitio; proprius effectus; propria cauſa indefinite prædicatur, eſt univerſalis propoſitio. Item quando Legibus quid diſpoſitum eſt: v. g. venditor debet præſtare evictionem; id eſt omnis venditor debet præſtare. Diſpoſitio hominis abſoluta æquivalet univerſali, quando omnium eadem eſt ratio: e. g. quando teſtator plures heredes inſtituit, & deinde dicit: heres meus Sempronio dabit quinque, omnes gravati cenſentur per *L. 44. π. de leg. 2. cap. 22. X. de privileg.* Unde DD. deſumunt regulam decantatam: indefinita locutio æquipollet univerſali & iſta regula obtinet in omni gradu neceſſitatis, vid. §. 222. ſeqq. Quia vero accidentia poſſunt adeſſe vel abeſſe a ſubjecto, ſequitur, quod non omnibus, ſed quibusdam

dam competant, quibusdam non competant, pro ut contingentia adfert. Et hic non est omnium eadem ratio; quod etiam nota pro legibus indefinite loquentibus.

§. 160.

Ubi tamen notandum, quod non semper legum locutiones indefinitæ æquipolleant universali, sed quandoque particulari pro subjecta materia, ex qua colligitur, quod lex non habeat intentionem generaliter disponendi. Exemplum est in *L. 3. cod. comm. utriusque judic.* ubi verba: *in bonæ fideijudiciis &c.* intelliguntur de divisoriis. vid. *Berg. resolut. Lauterb. ad tit. famil. hercis. q. 2. in resp. ad object. 1. circa fin. Coccej. jur. controv. ad eundem tit. q. 7. Berg. dd. resolut. de condict. furtiv. in resp. ad object. 2. Brunnem. ad l. 9. §. fin. & l. seq. ff. de tut. & rat. distrah.*

§. 161.

Singularis propositio constat subjecto sua natura non communi, & pluribus incommunicabili: e. g. hic equus mihi debetur. Petrus est doctus.

* * *

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0169
DFG

SECTIO IV.
DE
PROPOSITIONE EXPONIBILI.

§. 162.

DENIQVE ſimplex propoſitio dividitur in abſolutam, exponibilem & modalem. De abſoluta eſt actum, ſequuntur reliquæ. Eſt vero exponibilis, quæ conſtat particulis obſcuris quocunque loco poſitis, atque idcirco expoſitione indiget, qualis particula quoque eſt: *cum*. Exemplum eſt in *L. 13. pr. ff. de reb. dub.* hoc: Sejo cum ducentis, quæ apud eum depoſui, lego trecenta. Ubi dubium occurrit, an particula: *cum* incluſive accipiatur ita, ut incluſis ducentis depoſitis legem trecenta ita, ut tantum trecenta debeantur, an accipiatur excluſive ita, ut præter ducenta debeantur trecenta, & ita quingenta. Placuit quingenta deberi *d. L. 13. Brunnem. ad d. L.* inquit claram mentem teſtatoris, quod quingenta velit legare, colligi ex conjunctione duarum ſummarum, agnoſcit tamen obſcuram mentem in æquipollentibus verbis germanicis: *Ich legire Titio mit denen 200. Thl. die ich bey ihm in* depoſito

sito *habe*, *300.* Ego puto rationem ponendam in *cap. 7. X. de donat.* ubi dicitur: in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima interpretatio adhibenda. Cautela: *Ich legire Titio über die 200. Thl. 300. hundert.* Sed dicto modo exponibilis propositio accipitur late, cujus aliud exemplum continetur in alleg. *L. 13. §. 1.*

§. 163.

Stricte dicta enunciatio exponibilis est, quæ ob obscuritatem (quæ inde oritur, quia virtualiter plures enunciationes continet) quam habet ex adjunctis quibusdam particulis, expositione indiget.

§ 164.

Enunciatio exponibilis dividitur in exclusivam; exceptivam; reduplicativam, & comparativam.

§. 165.

Exclusiva est, quæ propter signum exclusivum, quod vel ab integro subjecto, vel ab integro prædicato, vel a signo particulari aliquid excludit, obscurum sensum parit, & ideo expositione indiget: e. g. Solus paterf. testamentum facere

cere potest. Est autem exclusiva vel formaliter talis, ut in dato exemplo; vel virtualiter talis, ut, si bonam fidem ad immemorialem præscriptionem requirenti respondeam, requiri tempus memoriam hominum excedens, hoc ipso enim satis significo solum lapsum temporis, cujus memoria non exstat, requiri. Sunt autem signa exclusiva: *solus; solum; solummodo; tantum; tantummodo, duntaxat; non ultra; non amplius.* Quandoque etiam particula *demum;* is demum codicillos facere potest, qui & testamentum *L. 6. §. 3. π. de codicill.* vid. *L. 1. §. 10. π. de separat. L. 9. π. de hered. petit.* particula *magis* quandoque etiam est exclusiva, utpote in *L. 1. π. comm. divid.* vbi: actio pro socio *magis* (id est tantum) ad præstationes personales pertinet. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad d. tit. §. 14.*

§. 166.

Est autem exclusiva vel subjecti vel prædicati. Exclusiva exclusi subjecti est, quæ omnia alia subjecta a participatione prædicati removet: e. g. solus dolus præstatur in deposito: Cujus resolutio sic fit; dolus præstatur in deposito, & nihil aliud.

aliud. Hæ ſolæ mulieres, quæ pietatis neceſſitudine ducuntur, admittuntur ad accuſationem ſuſpecti tutoris. *§. 3. Inſt. de ſuſpect. tut.* id eſt, eæ mulieres admittuntur, quæ pietatis neceſſitudine ducuntur &c. & nullæ aliæ. Itaque excluſivæ affirmativæ explicantur per duas propoſitiones, unam affirmativam, alteram negativam.

§. 167.

Excluſiva excluſi prædicati eſt, quæ omnia alia prædicata a participatione ſubjecti excludit: e. g. furti actio tantum ad pœnæ perſecutionem pertinet. *§. 19. Inſt. de obl. quæ ex delic. naſcuntur.* id eſt, furti actio pertinet ad pœnæ perſecutionem, & ad nihil aliud. Emptor poſt moram duntaxat præſtat uſuras pretii *L. fin. π. de peric. & comm. rei vend.* id eſt, præſtat uſuras pretii & nihil aliud. Quam explicationem vide in ipſa lege. Actio de ſervitute oneris ferendi eſt *magis* in rem, quam in perſonam; id eſt, eſt in rem, non in perſonam. Beneficium competentiæ ſocio datum, eſt *magis* perſonale *L. 63. §. 1. π. pro ſoc.* id eſt, tantum perſonale. vid. *L. 3. §. 1. π. de bonor. poſſeſ.* ubi particula: *magis* eſt excluſiua. vid. *L. 40. π. de neg. geſt.* ubi

particula *potius* est exclusiva exclusi prædicati. Et dictæ propositiones sunt exclusivæ affirmantes; quia negatio neque signo exclusivo, neque copulæ præfigitur.

§. 168.

Dantur etiam exclusivæ negantes, in quibus particulæ negantes vel signo exclusionis, vel copulæ apponuntur. Exemplum illius est in *princ. Inst: per quas pers. cuique acq.* ibi: acquiritur vobis non solum per vosmet ipsos. Quæ propositio ita resolvitur: acquiritur vobis per vosmet ipsos, & etiam per alios. Atque ita per duas propositiones affirmantes. Non sola temperantia est virtus, id est, temperantia est virtus, & quoddam, quod non est temperantia, etiam est virtus. Exemplum hujus est: solus summus princeps non obligatur legibus humanis, id est, summus princeps non obligatur legibus humanis; & quicunque non est summus princeps, obligatur legibus humanis; Et sic exponitur per unam propositionem negativam, & aliam affirmativam.

§. 169.

Ex dictis §. præced. apparet, quod exclusiva exclusi subjecti affirmativa negetur

getur per particulam negandi signo exclusivo præpositam: v. g. sola temperantia est virtus. Non sola temperantia est virtus. Ubi notandum, ita præfixa negatione non everti omnem propositionem, sed tantum id, quod innuitur particula exclusiva, nam non negatur temperantiam esse virtutem, sed tantum negatur solam esse virtutem.

§. 170.

Propositio exceptiva stricte dicta est, quæ aliquid excipit a subjecto universali, de quo prædicatum absolutum dici non potest: e. g. omnis alienatio fundi dotalis, præter necessariam, a marito facta est nulla. Quæ ita resolvitur: O. alienatio fundi dotalis, quæ non est necessaria, a marito facta est nulla. Alienatio necessaria fundi &c. non est nulla, sed valida. Nulla uxor, nisi adultera est dimittenda. Hæc sic resolvitur: nulla uxor, quæ adultera non est, est dimittenda. Adultera est dimittenda. Ubi apparet, quod in exceptiva contineantur plures propositiones. Hinc talis exceptiva formali Syllogismo inferi non potest. Ex dicta resolutione sequuntur ea, quæ scribit *Andr. Gail. lib. 1. obs. 82. n. 24. ex Bart.*

Bart. ad L. 4. cod. de transact. NISI, oratione negativa præcedente semper aliquid ponit & affirmat. Hinc est, quod talibus verbis: non habebo aliam uxorem, nisi te, matrimonium de præsenti contrahatur. *Et Bart. alleg.* scribit: quando per orationem præcedentem negatur actus, hæc particula actum ponit. Quando vero per orationem præcedentem negatur potentia, hæc particula potentiam ponit. Contradicit tamen *Brunnem. ad L. 59. §. fin. ff. de manumiss. testam.*

§. 171.

Nota, quod particula *nisi*, aliquando exceptive, ut hoc loco, aliquando illative accipiatur: e. g. nisi ususfructus sit personalis, transit ad heredes. Quomodo autem accipiatur, ex subjecta materia facile cognoscitur.

§. 172.

Nota 2) quod exclusivæ & exceptivæ se mutuo explicent; e. g. nulla uxor, nisi adultera est dimittenda. Ergo sola adultera est dimittenda.

§. 173.

Propositio reduplicativa, quæ etiam restrictiva dicitur, est, quæ constat particulis

culis restringentibus competentiam prædicati respectu subjecti, quæ particulæ indigitant modum, vel rationem, secundum quam prædicatum competit subjecto, & significant vel causam, vel partem, vel tempus, vel quantitatem loci, vel temporis, vel rationem considerandi &c. e. g. proprium militare delictum est, quod miles, ut miles admittit; Fur, qua talis non tenetur actione legis aquiliæ. Meretrices qua tales non gaudent foro privilegiato; Heres tenetur rei vindicatione, non qua heres, sed qua possessor. Instituta actione familiæ herciscundæ nemo concedit alterum coheredem esse, quatenus sibi præjudicat. Tales propositiones dicuntur reduplicativæ; quia sæpe duplicare solent subjectum. Sunt autem particulæ reduplicativæ, vel restringentes; *quatenus; qua; quoad; inquantum; secundum; juxta; respectu hujus; ut &c.*

§. 174.

Est autem reduplicativa in specie, vel specificativa. Reduplicativa in specie causam indigitat, cur prædicatum subjecto competat, & exponitur per *quia*, quæ est particula causalis; e. g. magistratui,

ſtratui, quatenus magiſtratus eſt, competit jurisdictio, id eſt, quia magiſtratus eſt. Citatio quatenus, vel quia citatio operatur præventionem (hinc libello ex cauſſa ineptitudinis rejecto, præventioni locus non eſt; quia citatio irrita facta, & loco non factæ habetur, valida autem citatio requiritur ad effectum præventionis) citatio autem quæ citatio, vel quatenus eſt publica teſtatio & ſic ſpecificative accepta interrumpit præſcriptionem, licet libellus rejectus per ſententiam ex cauſa ineptitudinis; mutetur; reus ab inſtantia abſolvatur; terminus circumducatur (quibus caſibus citatio ut citatio concidit) quia citatio ſaltem conſideratur ut publica teſtatio contra præſcriptionem *Berg. œcon. jur. lib. 4. tit. 14. th. 3. not. 3.* Notarius qua notarius conficit inſtrumenta publica. vid. *§. 17. & ſeq. §. 149. §. 150. n. 3.* Ad particulas reduplicativas quoque pertinet particula *per ſe*; id eſt, quando prædicatum ut propria affectio ſequitur eſſentiam ſubjecti, e. g. homo qua homo eſt docilis; ſive homo per ſe eſt docilis. Item particula: *eſſentialiter*; homo eſſentialiter eſt docilis. Dominium per ſe, ſive eſſentialiter eſt alienabile.

§. 175.

§. 175.

Ex his quodammodo intelligi potest, quæ sit reduplicativa specificativa, quæ scilicet non causam, sed aliud quid indigitat, & specifice designat, cur prædicatum insit subjecto, & indicat *vel partem*, e. g. domus qua domus, id est, secundum formam domus, pertinet ad dominum soli, *vel conditionem sine qua non*, e. g. bonitas ut cognita movet voluntatem; Lex ut promulgata, & applicata intellectui obligat. *Vel designat tempus*, e. g. pignus, quatenus pecunia debetur, tenetur creditori; id est, quamdiu pecunia debetur, tenetur; miles, quatenus militat, & in expeditione est, (id est, quamdiu militat &c.) militariter testari potest. *Vel restringit quantitatem;* e. g. pupillus quatenus locupletior factus, obligatur. *Vel denotat modum considerandi*, e. g. ens, ut ens est objectum metaphysicæ. *Vel restringit quantitatem loci*, e. g. locus, quatenus mortuus sepultus est, est religiosus.

§. 176.

Nota 1.) Quod quædam reduplicativæ, sive restrictivæ utroque modo, tam reduplicative in specie, quam specificative

cative accipi possint. Exempla sunt in §. præced. Locus quatenus mortuus illatus est religiosus; id est, quia mortuus illatus, quia illatio est causa religiositatis. Item secundum quantitatem terræ sepultum tegentis. Idem est de locupletatione pupilli; testamento militari.

§. 177.

Nota 2.) Quod a particula quatenus reduplicative in specie accepta ad de omni valeat consequentia, modo terminus reduplicatus sit causa necessaria, & supponat personaliter: e. g. magistratus ut, vel quatenus magistratus, habet jurisdictionem, ergo omnis magistratus habet jurisdictionem. Citatio quatenus citatio operatur præventionem, ergo omnis citatio operatur præventionem.

§. 178.

Propositio comparativa est, in qua prædicatum comparate de subjecto dicitur, & in ea duo subjecta cum uno prædicato componuntur. Estque proprie dicta comparativa, vel improprie talis. Illa est, in qua qualitas, in qua fit comparatio, utrique subjecto inest: e. g. rei vindicatio est præstantior, quam actio hypo-

hypothecaria. Quæ propositio ita resolvitur: rei vindicatio est præstans; actio hypothecaria est præstans, sed rei vindicatio in majori gradu est talis. Quæ res habet usum in classe creditorum, ubi vindicantes res suas præferuntur omnibus hypothecariis creditoribus, & personalibus utcunque priuilegiatis. Hæc est, in qua qualitas, in qua fit comparatio uni tantum subjecto, vel neutri inest. Exemplum illius: melius est nubere, quam uri; nam nubere est bonum, uri non est bonum. Exemplum hujus: adulterium est melius homicidio. Quæ ita resoluitur: adulterium non est bonum, homicidium multo minus est bonum. Dicitur ergo adulterium bonum non positive, sed comparative tantum, eo, quod sit minus malum.

SECTIO V.

DE PROPOSITIONE MODALI.

§. 179.

SEQVITVR denique modalis propositio, quæ est, in qua reperitur modus absolutæ propositionis copulam determinans, & habitudinem ad prædicatum indicans.

§. 180.

Ubi prænoto, quod modus etiam proprie adverbiis significetur, quibus modus, quo aliquid fit, denotatur, vid. §. 6. in præsenti autem sumatur pro modo, qui prædicatum ad certam, & specialem materiam determinat. Est autem materia propositionum quadruplex, necessaria, impossibilis, contingens & possibilis. Et secundum hæc quadruplex est modus: necesse; contingens; possibile; impossibile.

§. 181.

In modali ergo propositione modus indicat, quomodo prædicatum absolutæ propositionis insit subjecto, vel ei competat, vel non competat, an necessario, an contingenter, an possibile sit prædicatum competere subjecto, an impossibile. Unde apparet, quod modus pertineat ad prædicatum, sive in modali composita, sive divisa. Apparet quoque quod modus debeat esse distinctum quid a prædicato & subjecto absolutæ propositionis.

§. 182.

In omni autem modali propositione reperiuntur duo, scilicet dictum, & modus.

dus. Dictum est propositio absoluta, quatenus a modo separatur. Modus est vocabulum dicto accedens, quod ostendit, qua ratione prædicatum insit subjecto, vel non insit.

§. 183.

Modalis est vel divisa, vel composita. Divisa est, in qua modus ponitur in medio dicti & sic dictum dividitur per modum interjectum: e. g. pater necessario dotat filiam. Mater contingenter dotat filiam. Modalis composita est, in qua dictum integrum manet, & modus ponitur loco prædicati: e. g. patrem dotare filiam est necesse. Matrem dotare filiam contingit. Prætorem minori læso succurrere est necesse. Et, prætorem minori non succurrere est impossibile. In his modus tenet locum prædicati; dictum, locum subjecti. Et hæ modales compositæ commode referuntur ad propositiones indefinitas. De cetero si in his tibi difficultas aliqua occurrat, sic formes: adversus libertatem minori a prætore succurri est impossibile *L. 9. §. fin. ff. de minor.* adversus libertatem minori a prætore succurri non potest &c.

§. 184.

Nota multas modales ratione sensus esse ambiguas; nam quædam in sensu composito vel diviso possunt intelligi, scilicet quando subjectum est concretum: e. g. doctus necessario est humanus. Si enim intelligis doctum qua talem, vera est propositio. Si intelligis in sensu diviso, scilicet eum hominem, qui doctus est, falsa est. Sapientem impossibile est peccare. Hæc propositio in sensu composito vera est, scilicet sapiens agens secundum sapientiam non potest peccare. Bene tamen peccare potest ille homo, qui est sapiens. vid. §. 150. in a) & b)

CAPVT II.

DE ENVNCIATIONIBVS COMPOSITIS.

§. 185.

EXPLICATIS simplicibus propositionibus sequuntur compositæ. Est autem composita, quæ constat pluribus propositionibus debito modo unitis, quarum quælibet integrum sensum habet, in quas resolvi potest. Plures autem propositiones, ex quibus constat composita,

sita, simplices sint, an compositæ nihil interest. Nam hæc composita est: si canis ratione utitur est homo. Hæc quoque talis est: Si querela inofficiosi testamenti est hereditatis petitio, est talis vel ex testamento vel ab intestato. Item: si ad rem mobilem sacram efficiendam requiritur & destinatio & adhibitio, non sufficit aut destinatio, aut adhibitio.

§. 186.

Ubi nota, quod concurrentibus pluribus conjunctionibus ea sit principalis, quæ primo loco ponitur, & ex ea æstimatur propositio. Hinc in exemplo §. præced. secundo & tertio loco posito, propositio est tantum conditionalis. Et istæ propositiones fiunt negativæ, si isti principali copulæ negatio præponatur. Sic ergo ista est negativa: Non si querela inofficiosi testamenti est hereditatis petitio, est talis vel ex testamento vel ab intestato, id est, non est verum, quod, si querela inofficiosi testam: est petitio hereditatis &c. vel: particula ista negata significat consequens ex antecedente non sequi. Si baculus in angulo, comedemus. Non si baculus in angulo, come-

demus, id est, consequens non sequitur ex antecedente.

§. 187.

Conditionalis propositio est, quæ constat duabus propositionibus per conjunctionem conditionalem vel *positam.* (e. g. si maritus non diminuit substantiam suam dolo malo, in quantum facere potest, tenetur, & cautionem interponere debet *L. unic. §. 7. Cod. de rei ux. act.*) *Vel subintellectam:* (e. g. renuncio hereditati paternæ (vivo patre) ubi tacite subintelligitur conditio: Si hereditas fuerit delata, quasi diceretur: Si hereditas paterna fuerit delata, ei renuncio) *vel in participio inclusam:* diligenter studens aliquando gubernabit remp. id est, si quis diligenter studeat &c. (id quod plerumque duobus ablativis exprimitur: e. g. a testatore rogatus, ut acceptis centum nummis restitueret hereditatem Titiæ coheredi suæ *L. 109. π. de condit. & demonstr.*) *conjunctis.* Quarum prior, seu conditio, antecedens vocatur, posterior consequens. De cetero studiosis juris inservire volens non inhæreo hoc loco strictæ acceptæ enuntiationi secundum §. 117. Secundum strictæ tamen acceptæ enun-

enunciationis rationem accipe adhuc hoc exemplum: mater omnibus legitimis deficientibus admittitur ad tutelam liberorum ſuorum, id eſt, ſi omnes legitimi deficiant, admittitur, vel impetrare poteſt tutelam. vid. *L. 2. Cod. quand. mulier tut. offic. fung. poſſ.* Item, mater præſtito ſacramento, (quod ſecundo nubere nolit) admittitur ad tutelam; id eſt, ſi juraverit, admittitur ad tut. vid. *Auth. matri & aviæ dic. tit.*

§. 188.

Hac occaſione utiliter notet ſtudioſus juris, quod ſæpe in diſpoſitionibus hominum tam per actum inter vivos, quam ultimæ voluntatis tacite intelligantur conditiones e. g. in *L. 8. Cod. de revoc. don.* ubi is, qui magnam partem bonorum ſuorum donavit, cum liberos non haberet, videtur ſub conditione donaſſe: Si liberos non ſuſceperit; ergo ſuſceptis liberis poteſt revocare donationem, utpote deficiente conditione. Aliud exemplum eſt in *L. 6. verſ. cum autem Cod. de inſtit. & ſubſtit.* ibi: Cum pater filio ſuo inſtituto heredi, ſi morietur, ſubſtituit Cajum, vel filium reſtituere Cajo hereditatem jubet, ſemper conditio: *ſi ſine liberis deceſſerit*, ſub-

intelligitur; quæ conditio ex mente testatoris & donatoris colligitur per *L. 102. π. de condit. & demonstr. L. 30. in fin. cod. de fideicomm.*

§. 189.

Particulæ, sive conjunctiones conditionales sunt: *Si; sin; ni; nisi; siquidem; cum; postquam; donec; quandoquidem.* Cum navis ex Asia venerit, heres Cajo dabit 10. id est, si navis ex Asia venerit, heres dabit. Quandoque ex sensu & mente loquentis colligitur conditio: e. g. Stichum, qui meus erit, cum moriar, heres meus dato. Hic particula qui, resolvitur in conditionem sic: Stichum, si meus erit, cum moriar, heres dabit; nec est demonstratio; quod inde colligitur; quia verba referuntur ad tempus futurum *L. 6. π. de legat. 1.* Si demonstratio esse deberet, ita deberet sonare: Stichum, qui meus est, heres dabit *d. l.*

§. 190.

Disjunctiva propositio est, quæ constat duabus, vel pluribus propositionibus per particulam *aut*, similemve disjunctis, cujus sensus est, aliquid horum esse verum, non utrumque, non neutrum: e. g. mu-

mutuum est vel bonæ fidei, vel stricti juris. Debent autem disjunctivæ esse oppositæ, ubi tamen sufficiunt disparata: e. g. permutatio est vel emptio venditio, vel proprius per se contractus.

§. 191.

Sunt autem particulæ disjunctivæ: *aut; vel; sive; secus; seu; an.* Exempla vid. §. præced. ubi nota ex *L. 30. π. de aur. & arg. legato.* quod particula seu (idem erit de particula sive) ultimæ voluntati adjecta non disjunctiva, sed ampliativa, & coagmentativa sit: e. g. in d. *L. 30. π. de aur. & arg. leg.* lego uxori meæ mundum, ornamenta, seu quæ ejus causa paravi; ubi utrumque debetur, cum alias secundum naturam disjunctivæ alterutrum tantum debeatur.

§. 192.

Ubi notandum, 1) quod disjunctio importet incertitudinem, ob quam causam libellus alternativus in foro Sax. non admittitur, & quando testis alternative deponit, incerta est depositio. *Joh. Brunnem. ad L. 47. π. de verb. oblig.* Notandum 2) quod aliquando particula disjunctiva *aut* contineat virtualiter enun-

ciationem copulativam: e. g. in *L. ult. in fin. Cod. solut. matr. quemad. dos rep.* ubi pro data vel promissa, legendum: promissa & data. vid. *L. 4. Cod. de V. S.* ubi est talis casus: Titius vel Cajus heres esto. Vel, Titio, aut Cajo lego hanc rem. Ubi, ne propter incertitudinem voluntas concidat, pro *aut*, legendum est *et*. Secus est, quando res alternative relinquitur: lego Stichum vel Pamphilum, ubi est alternativa. Pulchrum casum, quo disjunctiva pro copulativa habetur. vid. in *L. 6. pr. Cod. de instit. & substit.* ibi: si filius vel sine liberis, vel sine testamento, vel sine nuptiis decesserit, alium substituo. Quo casu disjunctiva vertitur in copulativam, ex præsumpta testatoris voluntate, vid. *alleg. L. & §. 188.* Et hac ratione substitutus non habet locum, nisi omnes conditiones extiterint. Unde DD. formant regulam: disjunctivam positam inter plures conditiones resolvi in conjunctivam, si inter eas hæc reperiatur: Si sine liberis decesserit; per hanc *L. & L. 85. π. de hered. instit.* Notandum 3) ut disjunctiva sit immediata & necessario vera, requiritur, ut membra sufficienter enumerentur. Hinc hæc disjunctiva non est

est immediata: rei vindicatio est vel bonæ fidei vel stricti juris. Quia datur medium; scilicet arbitraria. Nec hæc est immediata: obligatio est aut ex contractu, aut quasi ex contractu, aut ex delicto, aut quasi ex delicto. Quia datur quintum, scilicet ex variis causarum figuris.

§. 193.

Sensus negantis disjunctivæ *vel* est, haec non recte opponi, sed utrumque verum esse. Sic quando Evangelici dicunt: aut fides aut opera justificant, negant Pontificii dicentes: non aut fides aut opera justificant, quasi dicant, duo hæc non recte opponi, quo ad justificationem, sed utrumque verum esse, quasi dicant: & fides & opera justificant. Vel non immediate opponi: e. g. non vel bonæ fidei, vel stricti juris est rei vindicatio, quæ utraque falsa est; quia datur tertium, scil. arbitraria.

§. 194.

Ubi adhuc notandum, propositionem distributivam a disjunctivis distinguendam esse; illa enim simplex est, qua totum universale in suas partes distribuitur:

tur: e. g. omne jus vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Item omnis obligatio oritur vel ex contractu, vel ex quasi contractu, vel ex delicto, vel ex quasi delicto, vel ex variis causarum figuris. Ubi ex particula *omnis* intelligitur, quod *aut* accipiatur distributive, cum obligatio distribuatur in suas partes subjectivas. Si autem particula *omnis* omittatur, *obligatio* supponit vel absolute, vel simpliciter, & æquipollet singulari.

§. 195.

Propositio copulativa est, quæ constat duabus vel pluribus propositionibus per particulam *et* &c. copulatiuam conjunctis, quæ innuit omnia membra vera esse: e. g. & animus perpetuo manendi, & habitatio requiritur ad constituendum domicilium habitationis. *Et* destinatio *et* adhibitio ad usum sacrum requiritur, ut res mobilis fiat sacra. Item fructus in fundo pendentes in venditione ab emptore tacite excepti videntur, si venditor tempore contractus se se jam paravit ad collectionem, & manum apposuit. *Lauterb. comp. p. 360. pr.*

§. 196.

§. 196.

Ubi notandum, 1) quod ad veritatem propositionis copulativæ requiratur, ut omnes partes veræ sint; nam si una sit falsa, tota propositio falsa est: e. g. Titius; Cajus; Sempronius mihi heredes sunto. Si neque Titius, neque Cajus, neque Sempronius mihi heredes erunt, alius mihi heres erit. Hoc casu, si solus Titius heres fiat, substitutio locum non habet. *L. 3. π. de vulg. & pupill. substit.* Ratio; quia una ex copulativis est falsa, & sic tota est falsa. 2) Quia testator non aliter videtur voluisse vocare substitutum, quam omnibus institutis deficientibus. Qui hæc ignorat, nescit distinguere inter mandata cum clausula & sine clausula. Illa enim concipiuntur per particulam aut, hæc per particulam &, vid. *Hahn. ad Wesenb. tit. de nov. oper. nunc. n. 9.*

§. 197.

Not. 2) particulam *Et* quandoque omitti, & subintelligi; exemplum dant ex *L. 7. π. de LL.* Sed quod datur ex *L. 5. §. 2. π. de instit. act.* non admitto. Nam ibi dicitur: si quis pecuniis fœnerandis, agris colendis, mercaturis, redem-

redempturisque faciendis præpoſuerit, in ſolidum eum teneri. Ibi enim non ſubintelligitur copulativa, quaſi omnium veritas requiratur, ſed potius ſubauditur disjunctiva, ita, ut etiam ſola fœneratio ſufficiat ad id, ut præponens in ſolidum teneatur, vid. *Coccej. jur. controv. de inſtit. act. q.* 2. Unde apparet, quod oratio, quæ neque conjunctionem, neque disjunctionem habet, ex mente pronunciantis vel disjuncta vel conjuncta accipiatur *L. 28. π. de verb. ſig.* vid. *L. 53. ibid.*

§. 198.

Not. 3) Quod vis particulæ *et* ſit æqualitatem inducere, vid. *Carpz. p. 3. c. 9. d. 16. part. 3. conſt. 10. d. 11.* Unde intelligitur *Zœſ. ad tit. π. de re judic. n. 143.* inquiens: plures ſi fuerint condemnati, non in ſolidum quilibet, ſed pro virili tantum parte ex cauſa judicati convenietur, etiamſi ceteri non ſint ſolvendo, & revera ſinguli in ſolidum fuerint obligati, ea ratione, quod per judicatum prioris obligationis fiat novatio; & ratio ulterior eſt, quod particula *et* poſita, vel ſubintellecta faciat æqualitatem, & dividat. Hinc quando quis contraxit debitum,

bitum, & fatetur se pecuniam accepisse, eam in liberandum ab ære alieno feudum, & alias necessitates impendisse. Dimidium restituunt successores feudales, ob particulam *& Brunnem. ad L. 2. §. 4. π. de eo quod cert. hoc.* vid. quoque *L. 59. §. 3. π. mand.*

§. 199.

Propositionis copulativæ negantis sensus est, non recte hæc coniungi, non esse utrumque verum. Ergo non negatur utrumque. Hinc est, quod in foro non admittatur litis contestatio per copulam *et* conjungentem duas propositiones; quia non est clara & categorica responsio, posset enim litem contestatus dicere, se saltem voluisse, ista duo non recte conjungi. Idem est de responsione ad positiones.

CAPVT

CAPVT III.

DE OPPOSITIONIBVS, AEQVIPOLLENTIIS, CONVERSIONIBVS ET CONSECVTIONIBVS ENVNCIATIONVM ET DE ARGVMENTO A CONTRARIO SENSV.

§. 200.

OPPOSITIO enunciationis est pugna inter duas enunciationes iisdem partibus principalibus, eodem sensu intellectis constantes, orta ex affirmatione & negatione ejusdem. Est vel simplicium vel compositarum.

§. 201.

Simplicium oppositio est duarum categoricarum constantium eodem subjecto & prædicato, eodem sensu intellectis, quarum una affirmat, altera negat. Hinc opposita sive contradictoria non sunt hæc: pater nummos peculiares, quos filius familias (cum existeret debitor mutui contra Sctum macedonianum accepti) solvit, condicere potest (scilicet condictione sine causa) per *L. 9. §. 1. ff. ad Sctum maced.* Pater istos nummos condicere non potest (scil. condictione certi ex

ex mutuo) *L. 14. π. de reb. cred.* non enim retinetur idem prædicatum, vel saltem non idem prædicati intellectus & sensus. Ex articulo facio, ut des, datur actio præscriptis verbis (scil. si nullus dolus concurrat) *L. 15. π. de præscr. verb.* Ex isto articulo non datur actio *præscr. verb. L. 5. §. 3. ibid.* (scilicet si dolus concurrat) & sic prædicatum in utraque propositione non accipitur eodem intellectu. Observando ergo requisita oppositionis omnes apparentes antinomiæ in jure occurrentes attento animo resolvi possunt.

§. 202.

Oppositionis naturam explicatius exhibere volentes has ponunt conditiones, 1) quod debeat intelligi secundum eandem partem subjecti. Hinc contradictoria non sunt hæc: Societas (in totum) donationis causa non contrahitur *L. 5. §. 2. π. pro soc.* societas (pro parte) donationis causa contrahitur *arg. L. 38. π. de contrah. emp. vend.* 2) quod secundum idem tempus intelligi debeat. Sic contradictoria non sunt hæc: querela inofficiosi totum testamentum rescinditur (secundum jus vetus) querela totum testamentum non re-

ſcinditur (ſecundum jus novum) 3) quod idem reſpectus retinendus ſit; ſic contradictoria non ſunt hæc: actio injuriarum eſt in bonis (ſcil. reſpectu commodorum ejus) Iſta actio non eſt in bonis (ſcil. reſpectu transmiſſionis in heredes) Sic quoque reſolvitur difficilis apparens antinomia exoriens ex *L. 13. pr. π. ad leg. aquil.* ibi: nemo eſt membrorum ſuorum dominus. *d. L. & L. 9. §. 7. π. de pecul.* ibi: aliquis eſt membrorum ſuorum dominus (ſcil. ſervus, cui naturaliter licet in corpus ſuum ſævire. *d. L. 9.*) Reſp. *L. 13.* intelligitur reſpectu creatoris, & reipublicæ. *L. 9. §. 7.* reſpectu privati ſcil. domini. 4) Quod idem ordo obſervari debeat. Sed id non ſemper requiritur, niſi quatenus ordinis mutatio ſenſum quoque mutat.

§. 203.

Oppoſitionem ſimplicium faciunt quadruplicem: contrariam, ſubcontrariam, contradictoriam, & ſingularium. Contraria eſt inter duas univerſales, quarum una eſt affirmativa, altera negativa. e. g. omnis dominus poteſt alienare, nullus dominus poteſt alienare. Sed quia hæc in juris prudentia parum, & ſub-

con-

contraria nihil utilitatis habet, his non immoror. Contradictoria (quæ maximum usum habet in jurisprudentia) est, quarum una est universalis affirmativa (vel negativa) altera particularis negativa (vel affirmativa, quando scil. universalis fuit negativa) e. g. omnis dominus potest alienare; non omnis dominus potest alienare, vel: aliquis dominus non potest alienare. Debet autem syncategorema in singulari proferri (non in plurali) omnis homo est doctus, aliquis homo non est doctus. De cetero inter disputandum contradictoria utendum est; quia per eam thesis proposita destruitur. Singularium oppositionem refero ad contradictoriam. Et per hanc, præsertim in Sax. debet fieri litis contestatio, ubi ad singula facta proposita, & singulas circumstantias contradictorie sigillatim responderi debet. Huc etiam referuntur propositiones, quarum subjecta simpliciter vel absolute supponunt, vid. §. 136. & 137.

§. 204.

Quomodo exclusivæ opponantur, vid. §. 168. 169. Exceptivæ opponuntur sicut aliæ absolutæ: e. g. nulla uxor, præter ad-

ulteram, est dimittenda. Nonnulla uxor, præter adulteram est dimittenda. Modales divisæ quoque opponuntur, sicut absolutæ. Compositæ autem, quia in iis modus sustinet locum prædicati, opponuntur præposita negatione ipsi copulæ: e. g. principem successorem ex tit. singulari confirmare privilegia ratione officii, & ex necessitate ac utilitate regiminis ab antecessore concessa, est necesse *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de constit. princ. §. 58.* Huic opponitur sic: principem successorem &c. confirmare privilegia &c. non est necesse. vid. *Brunnem. ad L. 2. Cod. de decurial. urb. rom. lib. XI. tit. 13.* inquiens: successor in regno vel prælatura subditorum privilegia confirmare tenetur ratione honestatis.

§. 205.

De æquipollentiis aliquid tractandum. Hæc est vel formalis, de qua §. 158. aliquid dictum est. Ubi adhuc nota, quod istæ æquipollentiæ in oratione ornatum faciant, sed cave, ne pernicioſe erres cum illo, qui bene precaturus principi ita scripserat: *faxit Deus, ut nunquam non desint, qui ex te descendunt, successores.* Id

Id est, faxit Deus, ut semper desint. Nunquam, idem significat ac: nullo tempore. Si ergo particulæ: *Nullo* post ponas, *non*, idem significat ac: *omni tempore*. Vel materialis quæ (quanquam ad logicam proprie non pertineat, juris studioso tamen est utilis) est æquipollentia vocum, vel propositionum: e. g. vetus consuetudo fori; pristinus mos judiciorum; item liberrima de re disponendi potestas; & plenum dominium & plena proprietas æquipollent. Alius casus est in *L. fin. Cod. quæ res pign. oblig. poss.* ibi, si accipiam pecuniam (vel alias contraham) atque fide, & periculo rerum ad me pertinentium, vel per earum exactionem satisfieri tibi promitto, generalis hypotheca censetur constituta. Unde dubitandum non est, hypothecam esse constitutam his verbis: *und soll mein Creditor Macht haben an dem künftig gefælligen Hauß-Zinß meiner Mieth-Leute sich bezahlt zu machen.* Talem æquipollentiam, vide *L. 19. §. 1. π. ad Sctum Trebell.* vid. *L. 69. princ. π. de legat. 2.* vid. *Berg. œcon. jur. lib. 2. tit. 4. th. 32. n. 2. & not. 4.* Hæc propositio: dabo 10. si cœlum digito tetigeris, æquipollet alteri: non dabo 10.

§. 206.

Converſio propoſitionum quoque conſideranda eſt. Eſt autem converſio transmutatio totius ſubjecti in totum prædicatum, & totius prædicati in totum ſubjectum manente veritate & qualitate. Eſt autem triplex converſio, 1) ſimplex; 2) per accidens; 3) per contrapoſitionem. Ad hujus converſionis intellectum nota hos verſus:

Simpliciter fEcI, convertitur EvA per acci- (dens:)
AſtO per contra (poſitionem) ſic fit converſio tota.

E denotat, quod univerſalis negativa poſſit converti ſimpliciter & quoque per accidens. I. denotat, quod particularis affirmativa poſſit quoque converti ſimpliciter. A. denotat, quod univerſalis affirmativa poſſit converti per accidens, & contrapoſitionem. O. denotat, quod particularis negativa tantum per contrapoſitionem converti poſſit. Nam notandum, quod E. indicet univerſalem negativam. I. particularem affirmativam. A. univerſalem affirmativam. O. particularem negativam. Juxta vulgatos verſus:

Aſſe-

Asserit A, negat E, sed universaliter ambæ.
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Quod nunc hanc rem attinet, propositio universalis negativa convertitur simpliciter, id est ita, ut convertendæ & conversæ maneat eadem quantitas & qualitas: e. g. nullus jure infamis est habilis testis. Ergo nullus habilis testis est jure infamis. Vel convertitur per accidens sic: ergo aliquis habilis testis non est jure infamis. Particularis affirmativa convertitur simpliciter sic: quædam obligatio producit actionem. Ergo quoddam producens actionem est obligatio. Ita etiam convertitur indefinita constans prædicato communi: e. g. obligatio producit actionem; ergo producens actionem est obligatio. Quando non constat prædicato communi, convertitur per accidens: e. g. homo est infima species; ergo quædam infima species est homo. Universalis affirmativa convertitur per accidens, id est, ut ex universali fiat particularis manente eadem qualitate: e. g. ex omnibus obligationibus mutuis oritur actio bonæ fidei. Ergo aliqua actio bonæ fidei oritur ex obligationibus mutuis.

tuis. Convertitur etiam hæc universalis affirmativa per contrapositionem sic: ergo omnis actio non bonæ fidei est non oriens ex obligationibus mutuis. Vel: ergo O. actio non bonæ fidei oritur ex non obligationibus mutuis. Hæc conversio per contrapositionem est in hoc exemplo: Quic. processum judicialem non observat, non vincit in judicio; ergo quic. vincit in judicio processum judicialem observat. Item: quic. non habet liberam rerum suarum administrationem, non potest alienare, ergo quic: potest alienare, habet liberam rerum suarum administrationem. Hæc conversio non valet: ex omnibus obligationibus mutuis oritur actio bonæ fidei. Ergo omnis actio bonæ fidei oritur ex obligationibus mutuis *Lauterb. comp. ad π. tit. de oblig. & act. pag. 625. in fin.* Ubi vides, quod in conversione per contrapositionem propositionis universalis affirmativæ, prædicatum & subjectum fiat infinitum, eandem autem quantitatem retineat. Particularis negativa tantum per contrapositionem convertitur, ita, ut in conversa solum subjectum fiat infinitum: e. g. quidam dominus non potest alienare, ergo qui-

quidam non potens alienare est dominus. Vel: quidam, qui non potest alienare, est dominus. Sic quoque convertitur indefinita negativa: e. g. testis domesticus non est legitimus testis. Ergo quidam non legitimus testis, est testis domesticus. Singularis propositio convertitur per accidens: e. g. Petrus est doctus, ergo quidam doctus est Petrus.

§. 207.

Quomodo convertitur hæc propositio? thesaurus (scil. qui fuit talis) pertinet ad inventorem? Resp. sic: ergo aliquod pertinens ad inventorem, fuit thesaurus. Nam, quia in subjecto convertendæ intelligitur thesaurus, qui fuit, in prædicato conversæ idem debet esse intellectus; in conversione enim idem prædicatum & subjectum debet retineri. Sic hæc propositio: cæci (scilicet qui fuerunt cæci) vident, ita simpliciter convertitur: ergo videntes fuerunt cæci. Vel per accidens sic convertitur. Ergo quidam videntes fuerunt cæci.

§. 208.

Nulla autem quoad conversionem est diversitas modalium & exponibilium.

Sic hæc indefinita convertitur per accidens: e. g. prætorem minori læso succurrere est necesse. Ergo aliquod necesse est hoc: prætorem minori læso succurrere. Solus princeps fert leges universales. Ergo solus ferens leges universales est princeps & hæc ultima est conversio simplex, quia manet eadem qualitas & quantitas.

§. 209.

Demum sequitur consecutio, quæ est consequentia propositionum formalis sine syllogistica dispositione, & sumitur vel ex speciebus enunciationis, vel ex affectionibus. Ex speciebus sumitur 1) ab affirmante finiti prædicati ad negantem infinitam valet consequentia: e. g. furtum est delictum. Ergo furtum non est non delictum. Et ad affirmationem infiniti, sequitur negans finiti: e. g. codicillus est non testamentum; ergo codicillus non est testamentum. Et vicissim sequitur: codicillus non est testamentum: ergo codicillus est non testamentum. Istæ enim propositiones æquipollent.

§. 210.

In modalibus a modo necessario affirmato

mato ad negationem modi impossibilis valet consequentia: e. g. Deum esse est necesse; ergo Deum non esse est impossibile. Venditorem rem tradere emptori est necesse. §. 2. *Instit. de donat.* Ergo venditorem rem non tradere est impossibile. Et contra, suum heredem præterire est impossibile (scil. jure) ergo non præterire est necesse. A modo contingit affirmato, ad modum impossibile negatum valet consequentia: e. g. tres liberos uno utero nasci contingit; ergo ita nasci non est impossibile. A modo contingit negato ad modum necesse, aut impossibile affirmatum alternative valet consequentia: e. g. non contingit uno utero 7. liberos nasci; ergo vel necesse est 7. nasci, vel est impossibile. Denique a modo impossibili affirmato ad modum necesse negatum valet consequentia: e. g. cœlum digito tangere est impossibile; ergo cœlum digito non tangere est necesse.

§. 211.

Quomodo ab exponibilibus ad exponentes argumentemur, vid. §. 166. et 172. Hic adhuc nota, quod ab affirmativa exclusiva ad suam universalem affirman-

mantem, quæ sit terminis absolutæ propositionis transpositis valeat consequentia, si prædicatum exclusivæ sit commune: e. g. solus princeps potest constituere ferias universales; ergo quicunque potest constituere ferias universales, est princeps; vel etiam sic inferri potest: ergo nullus præter principem potest constituere ferias universales. Solus dominus litis in litem jurare debet. *L. 7. π. de in lit. jur.* Ergo quicunque in litem jurare debet, est dominus litis. Deinde, exclusiva subjecti prædicato absoluto negato constans infert exceptivam affirmantem: e. g. solus princeps non obligatur legibus civilibus; ergo omnes præter principem obligantur legibus civilibus.

§. 212.

Quia argumentum a contrario sensu fere fit sine formali syllogismo, et in jure est frequentissimum, idipsum hic paulisper excutere placet. Est enim studioso juris admodum necessaria ejus cognitio, cum sæpe videat ab interpretibus juris aliquid probari argumento legis, inspiciens tamen verba legis nihil ejus, quod probatur, videatur reperire: e. g. accipit quis

quis legatum ex testamento invalido sciens testamenti vires. Hic non potest postea petere hereditatem legitimam, sive ab intestato, quod probatur ex *lege 8. ff. de hered. petit.* ubi dicitur: legitimam hereditatem petere non prohibetur is, qui, cum ignorabat vires testamenti, judicium defuncti secutus est; in quibus verbis non exprimitur id, quod probandum, sed a contrario sequitur: ergo is, qui, cum non ignorabat vires testamenti, judicium defuncti secutus est (accipiendo legatum) prohibetur vindicare legitimam hereditatem.

§. 213.

Utimur autem argumento a contrario sensu, quando ostendimus ad oppositum antecedentis sequi oppositum consequentis. Et, quando ostendimus ad oppositum consequentis sequi oppositum antecedentis. Sed in usu juris multo clarius hanc rem explicat Bachovius sic: argumentum a contrario sensu est, quando prædicatum convenit subjecto propter certam qualitatem subjecto additam, quæ causa est, cur prædicatum convenit subjecto, tunc abjecta ea qualitate sequitur contrarium prædicatum; Exemplum jam

jam est allatum. Et ad hunc modum argumentatur JCtus in *L. 1. vers. hujus rei fortissimum argumentum &c. π. de eo cui mand. est. jurisd.* inquit enim: magistratus criminalis, si eum necessario abesse contigerit, jurisdictionem criminalem mandare potest; ergo magistratus, si non necessario abesse contigerit, mandare non potest. Creditur, si ex ea re damnum sit passurus, in alia forma nummos accipere non cogitur; ergo creditor, si ex ea re damnum non sit passurus, in alia forma nummos accipere cogitur. Ubi subjectum est creditor, damni perpessio est qualitas & causa prædicati, abjecta ergo ista qualitate necessario contrarium prædicatum sequi debet. Luculentum exemplum est in *L. 20. §. 6. π. qui testam. fac. poss.* ibi mulier adultera testis esse non potest; ergo non adultera esse potest. Nam mulier adultera, vel adulterii damnata, propter hanc qualitatem: quia est adultera, testis esse non potest. Abjecta ergo ea qualitate sequitur contrarium prædicatum, quod scil. testis esse possit. Tale argumentum quoque continetur in *L. 57. in fin. π. de manumiss. testam.* ubi quis manumittit servum,

vum, cum æs alienum ſolutum fuerit; ergo infert JCtus: cum æs alienum ſolutum non erit, liber non erit. Spurii feminæ illuſtris non ſuccedunt, ſi ea habeat liberos legitimos; ergo a contrario ſi nullos habeat legitimos, ſpurii ſuccedunt.

§. 214.

Ubi nota, quod in legibus & diſpoſitionibus hominum, nullum verbum, nulla ſyllaba ſoleat poni ſine virtute & vi operandi. Hinc videndum, qua mente quid adjiciatur, an tanquam vera cauſa diſpoſitionis (quo caſu argumentum a contrario ſenſu, ſecundum dicta, habet locum.) An tanquam cauſa impulſiva; an tantum declarationis cauſa, vel dubitationis tollendæ gratia (quibus caſibus dictum argumentum non procedit.) Item non procedit contra diſpoſitionem juris, vel manifeſtam rationem legis. Item non procedit, quando ex iſto argumento reſultat abſurdum. Item non procedit, quando adeſt diverſitas rationis, vel jus corrigitur. Item non valet in odioſis *Coccej. jur. controv. p. 2. lib. 48. tit. 5. q. 12. in Reſponſ. 2. ad obj. 2.* Ratio harum exceptionum eſt; quia omnibus his caſibus

bus adjectum non est causa dispositionis; quia disponens non videtur absurdum velle, vel jus corrigere, nisi manifeste appareat correctio &c.

§. 215.

Quæritur an in legibus codicis procedat argumentum a contrario sensu? Resp. procedere quando a rationibus in legibus expressis arguimus *Joh. Brunnem. ad L. 25. Cod. de adulter.*

CAPVT IV.

DE PROPOSITIONE MATERIALITER CONSIDERATA.

§. 216.

PROPOSITIO materialiter considerata est, 1) vel theoretica vel practica; 2) vera vel falsa; 3) Necessaria vel contingens; 4) Perspicua, vel obscura.

§. 217.

Theoretica est, quæ aliquid esse vel non esse denotat. Et hæc iterum est vel essentialis, vel extraessentialis, quæ etiam accidentalis & paronymica dicitur. Essentialis est, quando prædicatum, quod de sub-

subjecto dicitur, est de essentia subjecti, ut genus, species, differentia: e. g. hereditas est successio. Petrus est homo; emptio venditio est de re pro certo pretio tradenda. vid. §. 21. & 23. Sic ergo, quando ea, quæ essentialiter rem constituunt prædicantur (quæ in contractibus essentialia appellari solent) est prædicatio essentialis. Quando vero accidentalia, quæ contingenter insunt, aut quæ essentiam consequuntur (quæ in contractibus naturalia vocantur) enunciantur, vocantur propositiones paronymicæ, accidentales vel extraessentiales: v. g. mutuum est dominii translativum (nam in mutuo tantum per consequentiam transfertur dominium, dum res fungibilis datur ad usum, qui sine consumptione, & translatione dominii esse non potest) feudum transit ad solos masculos. Heres tutoris tenetur tantum de lata culpa defuncti.

§. 218.

Practica propositio est, quæ aliquid jubet vel prohibet, sive asserit aliquid esse faciendum vel omittendum: e. g. pacta esse servanda; furtum non faciendum.

§. 219.

Quod nunc veritatem propositionum attinet; vera est, quæ cum norma sua congruit. Est autem norma alia in theoreticis, alia in practicis. In theoreticis est convenientia actus enuntiantis cum suo objecto, circa quod actus versatur, sive quando res, de qua fit enunciatio, a parte rei ita se habet, ut actus meus enunciat: e. g. Carolus septimus est electus imperator; ut actus meus enunciat, ita res se habet. Quando ergo res ita se non habet, ut enuncio, actus meus est falsus. In practicis norma est voluntas legislatoris. Sic est verum testamentum, quod fit secundum præscripta legum. Unde sequitur, quod id sit falsum testamentum, quod ita non fit. Qui ergo ex hac ratione impugnat testamentum tanquam falsum, & vincitur, non amittit relicta in eo. *L. 24. π. de his, quæ ut indign. aufer.* quia de jure disputat. *d. l.*

§. 220.

De cetero nota, aliud esse veritatem, aliud certitudinem propositionum; hæc enim est, quando judicio intellectus firmiter adhæremus veritati, quæ firmitudo deest,

deeſt, quando adhuc quodammodo hæſitamus, an ſit vera; quia deſunt principia cognoſcendi evidentia, unde fieri poteſt, ut uni veritas ſit certa, non alteri.

§. 221.

Propoſitio neceſſaria eſt, quæ aliter, ut enunciat, ſe habere non poteſt. Sive cujus objectum ita, ut enunciat, ſe habet, & aliter ſe habere non poteſt. Eſtque neceſſaria abſolute, vel hypothetice. Illa eſt, quæ nulla poſita circumſtantia eſt talis: e. g. venditor debet tradere rem venditam, quæ etiam dici ſolet præciſa neceſſitas. Hæc eſt, quæ eſt talis poſita aliqua circumſtantia: e. g. actor, qui ſemiplene probavit, neceſſario debet præſtare juramentum ſuppletorium, ex ſuppoſito, quod vincere velit.

§. 222.

Deinde neceſſitatis dantur gradus 1.) 2.) 3.) Ad primum gradum neceſſitatis refert *Hartung ad Brunnem. enchirid. logic. jurid. lib. 2. memb. 2. §. 6. in not.* eas propoſitiones juridicas, quæ per legis diſpoſitionem, & regulariter omni ſubjecto, & omni actui civili, & ſemper conveniunt, præprimis naturalia externa

e. g. omnis venditor emptori obligatur ad evictionem; hæc propositio in jure est necessaria, & regulariter vera, nisi contrahentes aliud disponant. Ex omnibus obligationibus mutuis oritur actio bonæ fidei. Sed hæc propositio non est simpliciter convertibilis.

§. 223.

Secundus gradus necessitatis est, quando subjectum per se, id est per essentiam suam tale est, quale esse dicitur. Ut quando prædicatum definit subjectum (scilicet inadæquate, nam, si adæquate definiat, pertinet ad tertium gradum) id est, de essentia subjecti est, ut genus; species, & omnia superiora ita prædicantur de inferioribus, ut dominium est jus in re; homo est animal. Ubi subjectum habet necessariam connexionem cum prædicato, sed non prædicatum cum subjecto. Ita quoque prædicatur differentia de specie; cum differentia non sit tota speciei essentia. Sic quoque prædicatur propria affectio, quæ essentiam sequitur; ut homo est docilis. Item sic prædicatur effectus de sua causa scilicet proprie, quod fit, quando idem est

est causa & subjectum suæ affectionis; ut dominium est alienabile.

§. 224.

Tertius gradus necessitatis est, quando subjectum habet necessariam connexionem cum prædicato, & viciſſim prædicatum cum subjecto, & sic sunt adæquata, ita ut totum prædicatum a subjecto exhauriatur. Quo pertinent omnes definitiones propriæ dictæ, & tales propositiones sunt convertibiles: e. g. omne furtum est fraudulosa contrectatio rei alienæ lucri faciendi gratia. Ubi viciſſim valet: omnis contrectatio fraudulosa rei alienæ lucri faciendi gratia est furtum.

§. 225.

Contingens propositio est, cujus extrema contingenter cohærent: e. g. Petrus est JCtus. Sunt autem vel *certæ*, quæ sensu percipiuntur: e. g. Titius occidit Cajum (quod oculis percipitur) vel certa ratione colliguntur: e. g. Titia stuprum admisit, quod inde colligo; quia est prægnans; vel sunt probabiles, quæ nec sensu, nec certa ratione percipiuntur, vel probantur, in alteram ta-

men partem asſenſum magis inclinant: e. g. Berta procacula ſtuprum admittit; quia frequentiſſime cum juvene eſt ſola.

§. 226.

Obſcura propoſitio eſt, cujus ſenſus non eſt apertus, ſed interpretatione indiget, quæ deſumitur ex ſubjecti & prædicati natura, & terminorum ſignificatione. Ubi 1) ea præferenda, quæ communis eſt; quia non ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri debent *L. 7. π. de ſuppellect. leg.* quam in hanc rem omnino vide. vide quoque *L. 69. π. de leg. 3.* 2) Quæ in arte, in qua verſamur, eſt recepta. vid. ſupra §. 7. Sic quando dicitur: literas inveſtiturarum eſſe inſpiciendas, intelliguntur in jurisprudentia feudali literæ ſuper conceſſione feudi confectæ. Si ex dictis ſignificationibus obſcuritas non tollitur, inſpicienda eſt intentio dicentis (quia mens plus valet, quam vox alleg. *L. 7.*) quæ colligitur 1) ex tractatibus præcedentibus *Duaren. ad L. 93. π. de verb. oblig.* Item ex præfationibus legum, contractuum & ultimarum voluntatum arg. *L. 1. §. 5. & ſeqq. π. de hered. inſtit.*

Hinc

Hinc si quis in præfatione testamenti dixerit, quod velit testari, & deinde dicat vel scribat: Lucius (non addando heres esto) potest dici testatus. 2) Ex antecedentibus & consequentibus: e. g. Titio legatus est fundus detracto usufructu (hic, si nihil amplius scriberetur, maneret ususfruct. apud heredem) sed postea addidit testator: ejusdem fundi usumfructum lego Cajo, si navis ex Asia venerit. Quo casu JCtus in *L. 4. π. si ususfr. petat.* sic interpretatur mentem testatoris, ut, ante conditionis existentiam, usumfr. velit manere apud Titium legatarium fundi; quia in gratiam heredis non detraxit usumfr. Aliud exemplum: Cum prius de certo contractu, aut re certa actum fuerit, aut certa persona, quæcunque postea subjiciuntur, ad id, unde conventio nata est, hoc est, ad id, de quo actum est, referri intelliguntur. *Carpz. p. 2. const. 16. d. 15.* vid. *compend. Lauterb. ad tit. de transact.* ab initio vers. *specialis.* verb. *nihil a te petam.* Sic quando in privilegio; Statuto, vel instrumento ponuntur hæc verba: *hoc modo*, & deinde sequuntur verba denotantia conditionem, illa verba: *hoc modo*, de-

bent exponi: hac conditione. Et vice versa, ubi in aliquo instrumento &c. reperiuntur ista verba: *cum hac conditione*, deinde sequuntur verba denotantia modum, utputa, ut aliquid fiat, v. g. debita solvat; ista verba denotantia conditionem debent exponi: *hoc modo. Lanfran. de Orian. in cap. Reynald. X. de testam. n. 3.* 3) Ex locis similibus: e. g. obligata prius sunt creditori universa bona debitoris. Hic postea oppignorat alii creditori certa bona, quæritur an creditor prior universalis debeat prius universalem hypothecam excutere, antequam pervenire possit ad speciales hypothecas posteriores vendendas? videtur affirmandum propter æquitatem in *L. 2. Cod. de pignor.* Sed Resp. negative propter *L. 2. in princ. π. qui pot. in pignor.* ex qua clara mens imperatoris colligitur. *d. ergo L. 2. Cod.* intra suos terminos est coercenda. 4) Ex probabili conjectura, quæ est multiplex. Sic *a*) ex qualitate loquentis colligitur ejus mens. Ex hoc infert *Cravetta cons. 445. n. 8.* quod femina non arceatur a feudo, quod femina concedit; quia verisimile non sit, feminam concedentem feudum voluisse ab eo

eo excludi feminas. Unde etiam inferri poterit, quod, si femina acquirat feudum, feminæ quoque a successione non arceantur; quia concedens videtur etiam conditionem personæ, cui concedit, respexisse. Hinc qui alicui jam in studiis degenti alimenta legat, videtur etiam sumptus studiorum, qui alias nomine alimentorum non continentur, legasse. *Stryk. in not. ad Comp. Lauterb. ad tit. de alim. & cib. leg.* ad verb. *Studiorum. b*) Præsumitur quis loqui usitato modo; ita in *L. olei 21. cod. locat.* loquitur imperator de locatione proprie dicta, & non de contractu innominato, ut quidam volunt. *c*) Modo recepto, sic quando in materia testamentaria quis loquitur de codicillis, etiam de nuncupativis intelligitur. Licet enim grammatice codicilli (quasi parvi codices) tantum sint scripti, receptum tamen est, ut dentur etiam nuncupativi. *d*) Præsumuntur contrahentes pleniorem voluisse contractum *L. 1. §. 12. π. depos.* e. g. do tibi rem, ut si Titius non recepisset, tu custodias, nec eam Titius recepit: est mandatum, quia plenius est mandatum habens & custodiæ legem. *e*) Præsumuntur contrahentes voluisse

manere in primo contractu. *d. L. §. 13.* e. g. mando tibi, ut rem ab aliquo meo nomine receptam custodias, idque feciſti, mandati eſt actio; quia eſt primus contractus, non vero eſt depoſitum. *f*) Actus dubius ſemper debet intelligi, quatenus agenti eſt utilior; quia hæc eſt naturalis intentio agentium, & magis intuemur, quod prodeſt, quam quod obeſt *Joh. Brunnem. ad lib. 12. Cod. tit. 37. n. 16.* *g*) Præſumitur quis velle, ut actus potius valeat, quam pereat. Hæc regula continetur in *L. 12. π. de reb. dub.* Hinc duobus poſſibilibus poſitis id accipiendum eſt, quod facit, ut actus potius valeat; quam pereat: e. g. Si quis mihi donet annuos 100. quo ad vivam, valet donatio absque inſinuatione, quia poteſt fieri, ut primo anno moriar, poteſt etiam fieri, ut diutius vivam *L. 34. §. 4. Cod. de donat.* Aliud exemplum: uxori lego uſumfructum omnium bonorum, poſt ejus mortem Cajum inſtituo heredem: quo caſu, ne uſusfructus pereat, Cajus in proprietate cenſetur inſtitutus, & poteſt adire, & ad id cogi poteſt ſtatim, ut uſusfructus valeat, alias periturus, utpote poſt aditionem demum cedens, vid. *Vinn. ad §. 9. Inſtit.*

Inſtit. de hered. inſtit. n. 7. *b*) Præſumitur quis voluiſſe contrahere ſecundum naturam contractus: e. g. vendo tibi actionem additis his verbis: *daß ich den Käuffer Schadloß halten wolle.* Non teneor bonum, ſed tantum verum nomen præſtare *Lauterb. colleg. ad tit. de evict. §. 23.* vid. *G. Adam. Struv. Syntag. jur. feud. cap. 8. aph. 8. n. 5.* Item ſocietas ſimpliciter contracta tantum earum rerum eſſe cenſetur, quæ ex quæſtu veniunt, lucro, opera, atque induſtria ſociorum, ex partium conjecturata mente, quæ tantum quæſtum negotiando perceptum in commune referri volunt. *Zæſ. ad tit. π. pro ſoc. n. 9.* Item vendo tibi fundum ſub conditione, & conſtituo pure me poſſidere tuo nomine; ante exiſtentiam conditionis conſtitutum non valet; quia eſt contra naturam contractus *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de A. vel A. poſſ. §. 19.* *i*) Præſumitur quis intellexiſſe verba bona fide; quia hæc eſt naturalis intentio hominum, & quilibet præſumitur bonus. *k*) Voluiſſe, ut res exitum ſortiretur. vid. *L. 12. §. 1. π. de uſit & habit.* circa finem, & nota, quod, niſi uſuario in oppidum fruges deferre liceret, uſus

in

in oppido habitanti esset inutilis. Aliud exemplum est in *L. 1. §. 1. π. si usufr. petat.* ibi: si cui legetur ususfructus ædium, fundi &c. necesse est, ut sequatur aditus, usque adeo, ut, si quis usumfr. loci leget sic, ne aditus præstetur, inutile hoc adjectum videatur. Sic quoque privilegium extenditur, si sine extensione inutile esset illi, cui concessum *L. 11. vers. item eos & lib. 10. Cod. tit. 47. de excus. muner. Brunnem. ibi n. 3.* unde colligitur famulos gaudere privilegio domini. Ubi nota, quod ad conservandam voluntatem verba sint ad improprium sensum flectenda *Carpz. p. 3. const. 8. d. 31. l)* Non præsumitur absurdum velle dicere, vel facere. e. g. liberi, & parentes, quando causa non expressa nominatim sunt exheredati, vel inique, evertunt testamentum tantum quo ad heredis institutionem salvis legatis; quæritur, an fratres præteriti evertant testamentum etiam quo ad legata? quod plerumque affirmatur ex ratione; quia hic nihil mutatum; alii negant; quia alias sequeretur absurdum, quod liberi essent deterioris conditionis, quam fratres; Imperator autem in *nov. 115.* non

non videtur voluisse absurdum statuere vid. *Coccej. jur. controv. ad tit. de inoffic. testam. q. 11.* *m*) Non præsumitur quis sibi velle contradicere: e. g. fidejussor renunciat beneficio excussionis his verbis: *worin er sich in Ermangelung verschriebener richtiger Zahlung verobligiret, und renuncirt dem* beneficio excussionis. Per hæc ultima verba tolluntur priora, ne sibi contradicat; vel priora sunt intelligenda de interpellatione extrajudiciali. Item fidejusor indemnitatis renunciat (forte etiam jurato) beneficio excussionis. Hic iste sibi contradicit re ipsa, quia autem præsumitur sibi nolle contradicere, sic istam renunciationem accipere debemus, ut habeatur pro nulla; est enim contra naturam & substantiam fidejussionis indemnitatis, utpote tantum locum habentis, si principalis non sit solvendo. Item dominus feudi consentit in oppignorationem feudi addita clausula: salvo suo jure; ubi sibi contradicit, & unum debet tolli; rationabilius autem est, ut clausula accessoria tollatur, quam id, quod principaliter est actum. Idem est in aliis similibus clausulis accessoriis. *n*) Præsumitur quis velle, ut cessante ratione unica

ca cesset voluntas, & dispositio. Sed de hac re plura in topicis. o) Præsumitur quis velle loqui de materia obversante oculis, & hoc dicitur argumentum a subjecta materia; nam dum quis de certa materia loqui destinavit, in eam mentis aciem intendisse censetur. Ita quando locator ob sterilitatem remittit unius anni pensionem utens verbo donationis, non est donatio, sed potius transactio quædam, & est donatio secundum dici *L. 15. §. 4. π. locat.* Nota, quod de aliqua materia loquens mentem intendat, ut dixi, in eam, reliqua vero obiter, & sæpe minus caute tractet. Hinc ex *L. 21. cod. locat.* non possumus concludere, quod in locatione conductione pensio in quantitatibus consistere possit, cum Imperator de ea re principaliter non tractet. Deinde nota, quod aliquando aliud agatur, aliud verbis exprimatur, exemplum est in *L. 13. π. de servit.* quæ per se clara est. Ubi plus valet, quod est actum, quam vocabulis nuncupatum. Huc quoque spectat ea interpretatio, qua actum intelligimus sub hac tacita clausula: *rebus sic stantibus.*

§. 227.

§. 227.

Hactenus de quibusdam modis interpretationis propositionum quasi intrinsecæ, & ex intimis fere intentionis penetralibus loquentis desumptæ. Datur etiam extrinseca & artificialis, quæ ex extrinsecis principiis desumitur, cum nimirum lex interpretationem dat præter vel contra intentionem proferentis, & in favorem rei vel personæ mox sic, mox aliter interpretatur: e. g. quod omissionem filii in testamento paterno ex oblivione, vel mentis impotentia factam interpretatur, in materno vero, animo exheredandi. Exheredationem filii sine justa causa factam ex furore voluntatis processisse. Inferentem res suas in prædium urbanum conductum velle eas obligare pro pensione, inferentem vero in prædium rusticum non velle obligare. Testatorem velle res hereditarias oppignorare pro legatis præstandis. Sed his & similibus casibus omnis interpretandi vis est in lege, nihil, vel vix aliquid in voluntate agentis. Huc pertinet *cap. odia 15. de reg. jur. in 6to.* ubi dicitur: odia restringi, favores convenit ampliari. Quæ autem sint odiosa, vel favorabilia non satis

tis convenit inter DD. (cum unum idemque diverſo reſpectu poſſit eſſe favorabile & odioſum) ego puto tutiſſime dici, eſſe ea, quæ lex vel concedens, ſive legislator vel privatus pro talibus habet. Sic dos in *L. 1. π. ſolut. matr. quemadm. dos rep.* dicitur res favorabilis. It. alimenta in *L. 14. §. 1. π. de alim. & cib. leg.* Huc referri poſſunt omnes cauſæ piæ, & publicæ. Sic quoque ex *L. 27. §. 2. in fin. π. de pact.* infertur & colligitur, quod ea interpretatio ſit favorabilis, per quam ad naturam primævam reditur. Huc referendum eſt, quod dicitur: interpretationem contra eum faciendam eſſe, qui clarius loqui potuit, vid. *Lauterb. comp. de empt. vend. in fin.*

LIBER

LIBER TERTIVS
DE SYLLOGISMO IN GENERE ET IN SPECIE.

CAPVT I.
DE SYLLOGISMO SIMPLICI.

§. 228.

VENIMVS ad omnium eorum, quæ hactenus tractavimus & totius logicæ scopum principalem, qui est Syllogismus, qui argumentatio & discursus dicitur metaphorica locutione; quia sicut animal ex uno loco in alium se movens discurrere dicitur, ita etiam mens nostra ex una propositione & cognitione procedens ad aliam quasi agitatione quadam discurrere dicitur. Est autem Syllogismus oratio, sive mentalis, sive verbalis, quæ ex præmissis conclusionem infert. Estque vel simplex vel compositus, ad utrumque autem soriten referre

posſumus; quia in illis virtualiter includitur, & ad eosdem reduci poteſt.

§. 229.

Eſtque hæc materia admodum neceſſaria jurium cultori præſertim practico; nam libellus eſt Syllogismus practicus, & plerumque in prima figura concipitur. Probatio quoque debet eſſe concludens, conſequenter Syllogismus forenſis. Et ſicut in Syllogismo debet vnum ex alio deduci, ita judex in inquiſitione reorum animadvertere debet, ut interrogationum una ex altera deducatur, ut ita reſponſio rei ſit in uno ex altero recta deductio. *Theodoric. colleg. crim. cap. 4. aph. 10. n. 21.*

§. 230.

Hoc capite agimus de Syllogismo ſimplici, in quo eſt conſequentia vel formalis, quæ quadrat ad regulas bonæ conſequentiæ, de quo proprie hic tractamus. Vel materialis, quæ quidem ad dictas regulas non quadrat, non tamen niſi verum concludit, ſic fieri poteſt, ut vera ſit concluſio in prima figura, licet minor ſit negativa: e. g. quic: aliena negotia mandato domini adminiſtrat eſt procurator; at negotiorum geſtor mandato domini

mini negotia aliena non administrat; ergo negotiorum gestor non est procurator. Sed hoc argumentum tantum procedit in terminis reciprocis & æqualibus. Vel mixta, quæ habet materiæ & formæ bonitatem.

§. 231.

Deinde Syllogismus est vel perfectus, qui habet omnes tres propositiones inesse debitas, expressas. Vel imperfectus, qui non habet omnes propositiones expressas, sed una retinetur in mente, vel major, vel minor. Juris practicis familiare est majorem retinere in mente, & tantum minorem & conclusionem exprimere: e. g. Titius recepit pecuniam in sacculo depositam, rogatur ergo dominus Judex, ut eum condemnet ad restituendum. Hic majorem exprimere est frustraneum, cum sit nota.

§. 232.

Partes Syllogismi simplicis proximæ sunt propositiones tres, major, minor & conclusio; partes remotæ sunt tres termini, vid. §. 131. medius, major, & minor, qui in dictis propositionibus debito modo combinantur, vel separantur. Me-

dius terminus est medium sive ratio concludendi, & causa conclusionis, est enim illud medium, vi cujus major & minor terminus in conclusione combinantur, vel separantur; major terminus est prædicatum conclusionis. Dicitur major; quia latius patet, quam subjectum conclusionis (excipe terminos reciprocos, sive adæquatos & convertibiles) minor terminus est subjectum conclusionis. Dicitur minor; quia minus late patet, quam prædicatum (excipe iterum convertibiles). Quando ergo vis probare propositionem aliquam, debes quærere medium illud concludendi, quod est vel definitio, vel species, vel differentia, vel propria affectio, vel aliqua ex quatuor causis, vel proprius effectus. Quando ergo vis concludere: hanc feminam alias pauperem esse meretricem, inepte & injuriose pro medio concludendi assumis hunc effectum; quia habet preciosas vestes, cum hujus effectus plurimæ possint esse causæ, quas tu non inspexisti; quæ concludendi ratio deducenda est per ferulam actionis injuriarum &c.

§. 233.

Ubi notandum, quod terminorum signi-

significatus & intellectus in dictis tribus propositionibus non sit mutandus; nil addendum, nihil minuendum (numeri tamen singularis in pluralem, vel temporis mutatio non nocet) hinc si termini mox in abstracto, mox in concreto; mox in sensu composito, mox in diviso accipiantur; mox in suppositione simplici, mox in distributiva sumantur &c. non procedit argumentum. Hinc non valet hic Syllogismus:

Res nullius cedit occupanti.
Res sacra est nullius.
Ergo res sacra cedit occupanti.

Nam in majori: *res nullius*, accipitur privative, quod colligitur ex prædicato; subjectum enim ex prædicato, & prædicatum ex subjecto interprætationem atque intellectum capit, hoc est, quod dicitur: talia sunt subjecta, qualia relinquuntur a suis prædicatis, & talia sunt prædicata, qualia relinquuntur a suis subjectis. In minore vero: *res nullius*, accipitur negative, quod colligitur ex subjecto. Sic quoque non valet:

Advocatus postulans honorarium accipere debet.

Titius in propria causa postulans est Advocatus postulans.
E. Titius in propria causa postulans debet honorarium accipere.

(intellige si adversarius sit condemnatus in expensas.) Hic in majore: Advocatus postulans (qui est medius terminus) accipitur in sensu composito, in minore, in sensu diviso. *Naurat. ad Zœs. π. tit. de postul. in not.* statuit Titium debere honorarium accipere, pro medio concludendi assumit impensam in rem alienam factam, cui opera æquivalet. Ipsius ergo argumentum sic sonabit;

Quic. impendit aliquid in rem alienam, debet recipere impensam
at. Advocatus in propria causa postulans aliquid impendit in rem alienam.
E. Advocatus &c. debet recipere impensam (cui opera æquivalet.)

Sic non valet:

Sedens necessario sedet
at. Titius est sedens
E. Titius necessario sedet.

In majore sedens accipitur in sensu composito, quod ex prædicato intelligitur; In

In minore, in diviſo. vid. §. 150. quod ex ſubjecto intelligitur.

§. 234.

Et quando ita in diverſo intellectu accipitur terminus, fiunt duo termini; quia ergo adhuc alii duo ſunt termini, idcirco quatuor fiunt termini, qui adverſantur formæ & naturæ Syllogiſticæ, ut infra videbimus.

§. 235.

Nota quod medius terminus neque totus, neque ſecundum partem debeat ingredi concluſionem, ratio eſt; quia medius terminus eſt cauſa concluſionis, cauſa autem nec poteſt, nec debet ingredi ſuum effectum; cum inter ea ſit correlatio, conſequenter oppoſitio.

§. 236.

Quo ad concluſionem nota, quod in ea nec plus, nec minus eſſe debeat, quam fuit in præmiſſis, ſcilicet in majore & minore termino; nam reſpectu medii, omnino minus in concluſione eſſe debet, quam fuit in præmiſſis, ut patet ex §. præced. pluribus autem modis fit, ut plus vel minus ponatur in concluſione, ut 1) ſi minor terminus in plurali, qui antea

positus erat in singulari numero. 2) Si terminus ponatur in conclusione, qui in præmissa non fuit. 3) Quando omittitur particula, quæ fuit in præmissa. De cetero si plus vel minus ponatur evadunt quatuor termini.

§. 237.

Nota 2) Conclusionem sequi debere partem debiliorem, scilicet in quantitate & qualitate; negativa autem est debilior, quam affirmativa; una ergo præmissa negativa existente, altera affirmativa, sequitur conclusio negativa. Particularis est debilior, quam universalis. Una ergo præmisarum universali existente, altera particulari sequitur conclusio particularis. De cetero una propositione necessaria existente, altera contingente conclusio necessaria sequi potest, quales syllogismi in foro juridico sunt quotidiani. e. g. quic. donat rem, ei incumbit necessitas præstandi *§. 1. Inst. de donat.* Titius donavit rem, ergo ei incumbit necessitas præstandi & tradendi. It. quic. rem vendit necessario debet tradere, at. Titius vendidit; ergo Titius necesario debet tradere.

§. 238.

§. 238.

Omnium Syllogismorum ſimplicium, & quidem. 1) Affirmative concludentium principium eſt hoc: Quando duo termini identificantur cum medio, ii inter ſe identificantur, ſive de ſe affirmantur; vel potius: unus eorum de altero affirmatur, ut amplius patebit. 2) Negative concludentium principium eſt hoc: quando unus terminus cum medio identificatur, alter per negationem ſeparatur, eorum unus de altero eſt negandus.

§. 239.

Hoc clarius patebit, ſi progrediamur ad ipſas Syllogismorum figuras, quæ ſunt tres, prima, ſecunda & tertia, quæ diſtinguuntur a diverſa repræſentatione terminorum. In prima figura medius terminus in majore eſt ſubjectum, major terminus prædicatum. In minore propoſitione minor terminus eſt ſubjectum, medius vero terminus prædicatum. In concluſione major & minor terminus combinantur ita, ut minor ſit ſubjectum, major prædicatum ita, ut ſic repetantur, ſicut poſiti fuerunt in præmiſſis. In hac figura in majore dicto modo ponitur medius terminus cum ſuo prædicato & ſub

medio isto descenditur ad inferiora; vid. supra §. 139. 140. 141. Hinc dicitur, quod, quidquid universaliter affirmatur vel negatur de superiore, affirmetur, vel negetur de omni eo, quod sub superiore continetur (ex dictis quoque liquet, quod in hac figura major semper debeat esse universalis): e. g.

Duorum vel plurium in idem placitum consensus est pactum. *l. 1. π. de pact.*
at. emtio venditio est duorum vel plurium in idem placitum consensus. *pr. I. de contrah. empt. V.*
Ergo emptio venditio est pactum.

Item:

Nulla condictio est famosa *L. 36. π. de O. & A.*
at. Omnis actio rerum amotarum est condictio *L. 26. π. de act. rer. amot.*
Ergo nulla actio rerum amotarum est famosa.

Et quia ista terminorum combinatio est maxime naturalis, nec salva ratione aliter fieri potest, patet, quod non plures possint esse termini, quam tres, nec plures propositiones, quam tres. Patet quoque quod in hac figura minor non possit esse

esse negativa, cum descensus per negationem fieri nequeat.

§. 240.

Ubi tamen cavendum, ne propositiones affirmativæ pro negativis habeantur. Nam quæ habent subjectum, vel prædicatum infinitum, negativæ non sunt, sed sunt potius affirmativæ. vid. §. 130. 131. Hinc in isto Syllogismo non potest minor propositio pro negativa venditari:

Quic. non consensit, non potest ex contractu obligari.
at. Titius non consensit
E. Titius non potest ex contractu obligari.

Quia major propositio est subjecti infiniti. Nunc in minori istud subjectum loco prædicati repetitur, sicut fuit in majore. Ejusdem farinæ est sequens argumentum:

Quodc. negotium non est bonæ fidei, nec utrinque obligatorium, non est contractus consensualis. §. *unic. I. de O. ex conf.*
at. constitutum non est bonæ fidei *L. 16. π. de const. pec. & L. 7. π. de eo quod cert. loc.* nec utrinque obligatorium.
E. con-

E. constitutum non est contractus consensualis.

§. 241.

In secunda figura medius terminus bis prædicatur, & major terminus ponitur in majore propositione loco subjecti, & identificatur cum medio, vel ab eo separatur. Minor terminus repræsentatur in minore propositione loco subjecti, & itidem identificatur cum medio, vel ab eo separatur per negationem; Fundamentum hujus figuræ ponunt hoc: De quorum uno universaliter aliquid affirmatur, de altero idem negatur, ea inter se neganda sunt. Et contra, de quorum uno universaliter aliquid negatur, de altero idem affirmatur, ea inter se neganda sunt. Unde patet, quod in hac figura major semper debeat esse universalis: e.g.

O. Hereditatis petitio datur adversus eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet.
at. querela inofficiosi testamenti non datur adversus eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet.
E. querela inofficiosi testam. non est hereditatis petitio.

N. actio

N. actio ex delicto datur aduersus heredes ;
Condictio furtiva datur adversus heredes.
E. condictio furtiva non est ex delicto.
Ita argumentatur *Lauterb.*
N. actio, quæ tantum personalis est datur ad rei divisionem.
Actio communi dividundo datur ad rei divisionem ;
E. actio communi dividundo non est tantum personalis.

§. 242.

In tertia figura medius terminus in majore, & minore propositione ponitur loco subjecti, & in majore propositione major terminus est loco prædicati; minor terminus in minore propositione loco prædicati & iterum fit identificatio, vel separatio terminorum, ut in præcedentibus dictum est. Hic adhuc observandum, quod in hac figura tantum particulariter concludatur, e. g.

O. qui in jure versatur turpiter jus ignorat.
O. qui in jure versatur est juris cultor.
E. quidam juris cultor turpiter jus ignorat. Quan-

Quanquam autem in hac figura major possit esse particularis, aliqua tamen præmissarum debet esse universalis; quia alias §. 238. & 240. memorata identificatio, & separatio terminorum fieri non posset. Hinc liquido infertur, quod in omni figura ex meris particularibus nihil sequatur. Infertur quoque, quod ex meris negativis nihil concludatur; Notetur tamen, quod in hac figura minor non debeat esse negativa, quæ tamen in secunda esse potest.

§. 243.

De singulari & indefinita propositione in materia necessaria (vid. §. 159.) observandum, quod æquipolleant universali, cum etiam hic possit fieri dicta terminorum identificatio: e. g. Petrus ambulavit super aquas; Petrus fuit homo; ergo aliquis homo ambulavit super aquas.

§. 244.

Nunc de modis figurarum, & reductione Syllogismorum tractandum esset. Sed quia sine cognitione istorum modorum observatis ante dictis Syllogismus formari potest, & reductio non est necessaria, studiosus juris, qui ea, quæ ad cogni-

cognitionem juris, & in foro necesſaria ſunt, ſectatur, hoc labore ſublevari poteſt, cui tamen volupe eſt, ſequentia accipiat, ubi ſaltem ex exemplis juridicis utilitatem capiet. Sed prius videat §. 206. ibi: aſſerit A. negat E. &c.

Modi primæ figuræ.

bArbArA, cElArEnt, dArII, fErIO.

bar O. teſtamentum requirit heredis inſtitutionem.
ba paternum teſtamentum eſt teſtamentum.
ra E. paternum teſtamentum requirit heredis inſtitutionem.
cel Nullum teſtamentum ſubſiſtit ſine heredis inſtitutione.
ar teſtamentum paternum eſt teſtamentum.
ent E. paternum teſtamentum non ſubſiſtit ſine heredis inſtitutione.
dar O. ſuus heres ipſo jure eſt heres.
i Q. filius adoptivus eſt ſuus heres.
i E. Q. filius adoptivus ipſo jure eſt heres.
fer N. ultima voluntas ante mortem diſponentis valet.
i Q. diviſio parentum inter liberos eſt ultima voluntas.

o E. Q.

o E. Q. divisio parentum inter liberos ante mortem non valet. (Ergo parentibus manet *der Rückfall.*)

Modi secundæ figuræ.

cEsArE, cAmEstrEs, fEstInO, bArOcO.

ces N. actio famosa datur adversus conjuges.

ar actio servi corrupti datur adversus conjuges.

e. E. actio servi corrupti non est famosa.

cam Quic. renunciat juri suo debet esse certus de jure suo. *L. 19. vers. cæterum ff. de inoffic. testam.*

es Quic. renunciat condictioni indebiti, non est certus de jure suo.

tres E. Quic. renunciat condictioni indebiti, non renunciat juri suo.

fes N. valida transactio potest rescindi.

ti Q. transactio potest rescindi.

no E. Q. transactio non est valida.

bar O. collegium licitum potest heres instituí.

oc Q. collegium non potest heres instituí.

o E. Q. collegium non est licitum.

Modi

Modi tertiæ figuræ.

DArAptI, fElAptOn, dIsAmIs, dAtIsI, bOcArdO.

dar
ap
ti — exemplum vide §. 242.

fel N. præceptum judicis ad unius partis inſtantiam emisſum tranſit in rem judicatam.

ap O. præceptum judicis ad unius partis inſtantiam emisſum eſt pronunciatio judicis.

ton E. quædam pronunciatio judicis non tranſit in rem judicatam.

dis Quædam ſervitus tranſit ad heredes.

am O. ſervitus eſt jus in re.

is E.Q. jus in re tranſit ad heredes.

da O. pubes poteſt teſtari.

tis Q. pubes laborat fragilitate judicii.

i Q. qui laborat fragilitate judicii poteſt teſtari.

boc Q. pactum non producit actionem.

ar O. pactum eſt conventio.

do E.Q. conventio non producit actionem.

§. 245.

Reductio ex ſecunda figura ad primam ſic fieri poteſt 1) quando major eſt

universalis negativa, hæc convertatur simpliciter. Sic Syllogismus positus supra §. præced. in Cesare reducitur sic:

Nulla actio, quæ datur adversus conjuges est famosa.
Actio servi corrupti datur adversus conjuges.
E. Actio servi corrupti non est famosa.

Sic conspicis Syllogismum in Celarent primæ figuræ modo. 2) Quando est universalis affirmativa convertatur per contrapositionem. Sic majorem propositionem in Camestres converte sic:

Quic. non est certus de jure suo, juri suo non renunciat.
at. quic. renunciat condictioni indebiti non est certus de jure suo.
E. quic. renunciat condictioni indebiti non renunciat juri suo.

Ubi conspicis Syllogismum in Barbara; nec recte objicis, quod sint propositiones mere negativæ, vid. §. 130. 131. 240.

§. 246.

Ex tertia figura Syllogismos reduces ad primam, si subjectum in minore propositione beneficio conversionis ad præ-

dica-

dicatum redigatur. Sic exemplum §phi 242. sic rediges:

O. qui in jure versatur, turpiter jus ignorat.
Q. juris cultor in jure versatur.
E. Q. juris cultor turpiter jus ignorat.

Hic conspicis Syllogismum in *Darii* primæ figuræ modo.

Exemplum in Felapton reduces sic:

N. præceptum judicis ad unius instantiam emissum transit in rem judicatam.
Q. pronunciatio judicis est præceptum judicis ad unius instantiam emissum.
E. Q. pronunciatio judicis non transit in rem judicatam.

Hic conspicis Syllogismum in *Ferio* primæ figuræ modo.

In Disamis minorem pone loco majoris, & majorem loco minoris, atque hanc converte simpliciter, consequenter conclusionem. Sic ergo in primæ figuræ modo *Darii* sic procedet:

O. servitus est jus in re
Q. transiens ad heredes est servitus.
E. Q. transiens ad heredes est jus in re.

Datisi convertes sequenti modo, & reduces ad modum *Darii*:

O. pubes potest testari.
Q. fragilitate judicii laborans est pubes.
E. Q. fragilitate judicii laborans potest testari.

Adhuc nota, quod modi, de quibus hactenus, nihil aliud sint, quam dispositiones propositionum secundum quantitatem & qualitatem.

§. 247.

Quidam quartam Syllogismorum figuram faciunt. Sed hæc nihil aliud est, quam transpositio propositionum ita, ut in prima figura minor primo loco ponatur, major secundo, & meo judicio, non ineleganter ita concipiuntur libelli, cum ita jus agendi commemoretur in secunda propositione: e. g. propono Titium a me recepisse rem depositam, & admonitum recusare restituere; quia autem juri conveniens est ut res deposita illico restituatur, idcirco rogo domine judex, ut eum condemnes ad restitutionem.

CAPVT

CAPVT II.

DE SYLLOGISMO COMPOSITO.

§. 248.

SYLLOGISMVS compositus est, cujus major propositio, vel major & minor composita est, id est constans pluribus una propositionibus. Et est vel conditionalis, vel disjunctivus, vel copulativus. vid. §. 185. seqq.

§. 249.

Conditionalis habet majorem conditionalem affirmativam, habetque duas figuras; prima in minore absolute repetit antecedens, atque infert consequens. Secunda in minore removet; & destruit consequens, & in conclusione removet atque destruit antecedens; exemplum primæ figuræ:

Si alio ordine defertur hereditas & petitio hereditatis, quam querela inofficiosi testam. hæc non est hereditatis petitio.

Sed alio ordine defertur hereditas & hereditatis petitio, quam querela inofficiosi test. (breviter: verum: est prius, &c.)

E. hæc non est petitio hereditatis. (breviter: ergo & posterius.)

Item:

Si obligatio ad antidora non est perfecta, non producit actionem.
Sed obligatio ista non est perfecta.
E. non producit actionem.

Exemplum secundæ figuræ.

Si querela inofficiosi est hereditatis petitio, actori vincenti necesario adjudicari debet hereditas, eique restitui. *L. 10. π. de hered. petit.*
Sed posterius est falsum. *L. 6. §. 1. π. de inoffic. testam.*
E. & prius.

Querela inofficiosi testamenti non datur, si exheredatio facta sit sine justa causa, vel causa non expressa; *contra Lauterb. comp. de in offic. testam. circa pr.* vers. *requiritur.*

Probo thesin sic:

Si his casibus daretur querela, deberet queri filius sibi injuriam esse factam *L. 8. pr. π. de inoffic. testam.* Se non esse dignum exheredatione.
Sed posterius est falsum (quia tantum que-

queritur causam justam non esse; non esse expressam.)

Ergo & prius.

Et hic Syllogismus dicitur transsumptivus; quia transsumit alteram propositionem (vel si mavis, partem) majoris propositionis in minore, & infert, vel destruit alterum in conclusione.

§. 250.

Datur etiam Syllogismus conditionalis assumptivus, qui in minore propositione assumit novam conditionem, quæ infert antecedens majoris, & consequenter infert consequens ejusdem majoris: e. g.

Si ususfructus nunquam redit ad proprietarium, proprietas domino est inutilis.

Sed si ususfructus morte non extinguitur, nunquam redit ad proprietarium.

E. si ususfructus morte non extinguitur, proprietas domino est inutilis.

Vel assumit in minore novam conditionem, quæ destruit consequens, consequenter destruit antecedens in conclusione: e. g.

Si avtochiria Jure civili est licita, eo jure licet homini sævire in membra sua.

Sed si eo jure nemo est dominus membrorum suorum, homini eo jure non licet sævire in membra sua.

E. si jure civili nemo est dominus membrorum suorum, jure civili avtochiria non est licita.

Item:

Si emptor non potest expellere conductorem, ille huic obligatur.

Sed si emtor nihil contraxit cum conductore, ille huic non obligatur.

E. si emtor nihil contraxit cum conductore, ille hunc potest expellere.

§. 251.

Huc referunt Syllogismum, qui cornutus vocatur (quia quasi duo habet cornua) quando, e. g. major propositio in consequente habet copulativam, vel disjunctivam. Exemplum sit hoc:

Si actio de rescindenda venditione datur adversus tertium, venditor vel habet jus in re, vel ad rem.

Sed venditor non habet jus in re, nec ad rem.

E. Actio

E. Actio de rescindenda venditione non datur adversus tertium possessorem.

Hic Syllogismus tantum procedit a remotione consequentis ad remotionem antecedentis.

Huc quoque referunt Dilemma, quod parum a priori recedit, nisi quod hic in consequente majoris propositionis sit propositio disjunctiva. De cetero in minore quoque procedit a remotione consequentis additis rationibus, in conclusione procedit ad remotionem antecedentis. Exemplum potest esse, quod proxime prolatum:

Si actio de rescindenda venditione datur adversus tertium, venditor habet vel jus in re, vel ad rem.
Sed venditor non habet jus in re, quia id transtulit; nec ad rem; quia tertius ei non obligatur ex contractu.
Ergo actio de rescindenda venditione non datur adversus tertium.

Item:

Si conductor ab emptore non potest expelli, ille vel habet jus in re, vel ad rem.

Sed nec habet jus in re, quia nullum eſt conſtitutum; nec habet jus ad rem, quia nullum negotium cum emptore contraxit.

E. conductor ab emptore poteſt expelli.

Item:

Si querela inofficioſi teſtam. eſt hereditatis petitio, eſt vel ex teſtamento, vel ab inteſtato (inter hæc enim reſpectu hujus materiæ non datur medium.)

Sed non eſt hereditatis petitio ex teſtamento; quia eo eſt excluſus. Nec ab inteſtato; (quia obſtat teſtamentum; exiſtente enim teſtamento cauſa inteſtati non habet locum)

E. querela inofficioſi non eſt hereditatis petitio.

Ut autem major in Dilemmate ſit vera, conſequentis membra immediate oppoſita eſſe debent. Hinc non procedit hoc Dilemma:

Si matrimonium eſt contractus, eſt vel realis, vel verbalis, vel literalis.

Sed non eſt realis, nec verbalis, nec literalis.

E. non eſt contractus.

Quia

Quia datur medium, scilicet consensualis.

§. 252.

Alii Dilemma ita formare solent, ut loco majoris disjunctivam ponant: e. g.

Conductor aut habet jus in re, aut ad rem.

Sed conductor non habet jus in re; quia conductio rem non afficit. Nec habet jus ad rem; quia emtor cum conductore nihil egit.

E. emtor potest expellere conductorem.

Sed hac ratione est aliquid in conclusione, quod non fuit in præmissis, quod est contra argumentandi rationem. In hoc Syllogismo adversarius capitur, quocunque se vertat; habet enim duo cornua, quibus adversarius necessario conficitur.

§. 253.

Syllogismus disjunctivus constat majore disjunctiva affirmante, habetque iterum duas figuras: 1) A positione unius ad remotionem alterius, vel reliquorum membrorum (quando scilicet plura membra disjunguntur in majore.) Et hic non attenditur, an prius, an posterius membrum ponatur: e. g.

Emptio

Emptio venditio vel est bonæ fidei vel stricti juris.
Sed est bonæ fidei.
E. non stricti juris.

Item:

Emptio venditio vel est contractus realis, vel verbalis, vel literalis, vel consensualis.
Sed est consensualis.
E. non realis, nec verbalis, nec literalis.

Et hæc figura fundatur in oppositione. Uni enim subjecto non possunt competere opposita. Cum ergo unum oppositum competit, reliqua opposita necessario excluduntur. Et quia eadem est ratio in disparatis, etiam in his præcedit hoc argumentum: e. g.

Transactio vel est contractus, vel actus civilis simplex & absolutus, qui perficitur conventione.
Sed est actus civilis simplex &c.
E. non est contractus.

Item:

Emphyteusis vel est locatio conductio, vel proprius per se contractus.
Sed est proprius per se contractus, *§. 3. Inst. de loc. cond.*

E. Em-

E. Emphyteusis non est locatio conductio.

2) Figura procedit a remotione unius ad positionem reliqui, & fundatur in immediata oppositione (sufficit autem immediata oppositio respectu materiæ.) e. g.

Aut imperium nostrum germanicum est romanum, aut Prophetia Danielis *cap.* 2. & 7. est falsa.

Sed Prophetia Danielis (qui scripsit imperium romanum esse duraturum usque ad finem mundi) non est falsa.

E. imperium nostrum germanicum est romanum.

In hac figura, quando major constat pluribus, quam duobus membris, tunc a remotione unius, vel duorum proceditur ad positionem reliquorum sub disjunctione: e. g.

Permutatio vel est contractus realis, vel verbalis, vel literalis, vel consensualis.

Sed non est consensualis.

E. est vel realis, vel literalis, vel verbalis.

Vel sic sumitur.

Sed non est consensualis, nec verbalis, nec literalis.

E. est realis.

§. 254.

§. 254.

Syllogismus copulativus constat majore propositione negante, & habet tantum unam figuram procedentem a positione unius, ad remotionem alterius: e. g.

Non & bonæ fidei & stricti juris est emptio vend.
Sed est bonæ fidei.
E. non est stricti juris.

Si autem major pluribus, quam duobus membris constet, posito uno vel duobus, conclusio debet esse copulativa negans: e. g.

Non & bonæ fidei & stricti juris, & arbitraria est rei vindicatio.
Sed rei vindicatio est arbitraria.
E. rei vindic. non & bonæ & stricti juris est.

CAPVT III.

DE QVIBVSDAM SYLLOGISMI AFFECTIONIBVS.

§. 255.

Per Syllogismum non tantum una conclusio inferri potest, sed mediante una ista & principali conclusione plures, non

non duntaxat vi converſionis, æquipollentiæ &c. ſed etiam vi materiæ deduci poſſunt, quod genus deducendi juris ſtudioſis eſt neceſſarium & familiare: e. g.

Deficiente herede unico in teſtamento ſcripto, teſtamentum in totum annullatur *L. 1. §. 4. π. de his, quæ in teſtam. del. L. 1. §. pen. π. und. lib.*

Sed quando nomen heredis unici conſulto a teſtatore deletur, deficit heres in teſtamento ſcriptus.

E. quando nomen heredis unici conſulto a teſtatore deletur, teſtamentum in totum annullatur.

E. hereditas non defertur ad fiſcum.

E. nec legata valent.

E. tutoris datio ceſſat.

E. pupillaris ſubſtitutio evaneſcit. *L. 3. §. 1. π. de vulg. & pupill. ſubſtitution.*

§. 256.

Deinde poſſumus noſtram theſin probare per viam obliquam, quando ex theſi adverſarii noſtri abſurdam concluſionem deducimus: e. g. Carpz. ſtatuit, quod ea, quæ cauſæ cognitionem requirunt, pertineant ad contentioſam jurisdictionem; unde ſubſumo: atqui adoptio

optio causæ cognitionem requirit *L. 15. §. 2. L. 17. & 40. §. 1. π. de Adopt.* Ergo adoptio pertinet ad contentiosam jurisdictionem; quod est contra *L. 2. π. de offic. proconſ.* & sic absurda conclusio, & absurda thesis Carpz. unde sequitur veritas meæ theseos, quod non omnia, quæ causæ cognitionem requirunt, sint contentiosæ jurisdictionis.

Eodem modo refellitur Carpz. qui *decis. 190. n. 7.* ita argumentatur: pœna criminalis furti est exorbitans; ergo non tenentur heredes furis suspensi æstimationem rei furtivæ consumptæ restituere. Unde sequitur absurdum, quod nec rem existentem teneantur restituere vid. *Joh. Brunnem. ad L. 9. n. 9. π. de publican.*

Ejusdem fere farinæ est argumentum sequens: Bonæ fidei possessor fit dominus fructuum propter culturam & curam. Contra quod sic arguo.

Quic. adhibet culturam & curam, fit dominus fructuum.

Sed malæ fidei possessor adhibet culturam & curam.

E. malæ fidei possessor fit dominus fructuum.

Sed

Sed hæc concluſio eſt abſurda & contra §. 36. *Inſtit. de rer. diviſ.* Ergo una præmiſſa eſt falſa; non minor, ut per ſe patet; ergo major.

§. 257.

Poteſt etiam quandoque adverſarii theſis ſubverti per inſtantiam. Eſt autem inſtantia particulare exemplum adverſarii theſi oppoſitum, per quod univerſalitas theſeos ipſius ſubvertitur & infringitur: e. g. ſtatuit quis, omnes actiones reales dari adverſus quemvis poſſeſſorem; cui oppono hanc inſtantiam: hereditatis petitio eſt actio realis, & non datur adverſus quemvis poſſeſſorem, datur enim tantum contra eum, qui pro herede, vel poſſeſſore poſſidet. Sic quoque actio confeſſoria datur non tantum adverſus poſſeſſorem prædii ſervientis, ſed etiam adverſus quemvis impedientem *L. 10. §. 1. ff. ſi ſerv. vindic.* Interdictum uti poſſidetis datur adverſus quemcunque turbantem.

§. 258.

Huc quodammodo referri poteſt retorſio argumenti adverſarii noſtri in ipſum, quæ eſt rejectio argumenti ab eo prolati eo fine facta, ut ipſum quaſi pro-

prio gladio jugulemus: e. g. heres rogatur hereditatem restituere Titio & Cajo. Quæritur, an inter hos fideicommissarios sit jus accrescendi? quod graves doctores negant hoc argumento:

Quando nulla pars vacat, jus accrescendi non habet locum.
Atqui hoc casu nulla pars vacat (deficientis enim portio, ajunt, manet apud heredem.)
E. hoc casu jus accrescendi non habet locum.

Verum ex hoc argumento sequitur, quod jus accressendi nec in collegatariis habeat locum (quod ipsi non admittunt) quod probo ipsorum argumento; quia in legatis etiam pars nulla vacat, sed deficientis portio manet apud heredem. *Henr. Zœs. ad tit. π. de legat. n. 45. 46.*

§. 259.

Sæpe etiam in argumentationibus committitur petitio principii, nimirum, quando quis probat idem per idem; incertum per æque incertum; obscurum per æque obscurum: e. g. inquis, quod debitor præscribens actionem debeat habere bonam fidem, probas sic:

Quic.

Quic. præscribit rem alienam debet habere b. f.

Atque præscribens actionem præscribit rem alienam.

E. præscribens actionem debet habere bonam fidem.

Resp. principium probandi est tam obscurum sicut conclusio, debitorem possidere rem alienam, scilicet creditoris, est ens rationis existens tantum in intellectu confingentis:

Item:

Constantinus magnus donavit pontifici romano magnam partem Italiæ; ergo pontifex eam jure possidet. Resp. consequens est tam incertum, quam antecedens, & ita petitio principii. vid. *Struv. Syntag. jur. feudalis cap. 8. aph. 9. n. 1. 2.*

§. 260.

Sequitur inductio, quod est enthymema concludens ab enumeratis omnibus inferioribus ad universale superius, qui est modus argumentandi per ascensum, scilicet a singularibus omnibus expresse, vel tacite (addendo: idem est de aliis) enumeratis ascenditur ad universale, &

prædicatum, quod singulis inferioribus fuit tributum, in conclusione tribuitur universali; vel quod negatum fuit de singulis, negatur de universali e. g. usus-fructus est jus incorporale, usus, habitatio, iter, actus, via; idem est de aliis; ergo omnis servitus est jus incorporale. Tale enthymema negative concludens continetur in *L. 45. π. de reg. jur.* ibi: neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio (idem est de aliis contractibus) rei suæ consistere potest. Tale quoque enthymema continetur in *L. 1. π. de distr. pignor.* Casus est iste: credidi Titio 100. sub pignore certorum prædiorum; postea alius eidem credit sub pignore omnium bonorum; postea ego cum eodem convenio de pignore, sive hypotheca omnium bonorum, distrahoque generalem hypothecam ante secundum creditorem generalem; hoc casu adversus me secundo creditori nulla datur actio, quod lex inductione sic probat: non datur actio personalis; quia nullum contractum cum eo habeo. Non utilis hypothecaria, nec ad exhibendum; quia dolo non desii possidere; non actio furti ratione mobi-

lium;

lium; quia propriam cauſam perſecutus ſum errore ordinis ſeductus, præſertim quia alter creditor furto poſſeſſionem non amiſit, cum non fuerit apud eum. Ergo ſecundo creditori generali adverſus me non datur actio; debet ergo interpellare poſſeſſores, id eſt emtores. *Joh. Brunnem. ad d. l.* tamen in ſubſidium, ſi hi non ſint ſolvendo, adverſus primum creditorem dat actionem. Tale enthymema vide quoque apud *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de duob. reis §. 24.* Ubi adhuc nota, quod in iſto enthymemate major, quæ eſt conditionalis reticeatur; quia nota eſt, & multorum repetitio moleſta.

§. 261.

Exemplum etiam eſt argumentandi modus ab uno ſingulari ad aliud propter ſimilitudinem aut identitatem rationis. e. g. Matthias, *cap. 1. actis apoſt.* Stephanus. *cap. 6.* Saulus & Barnabas *cap. 13.* a tota eccleſia electi ſunt ad ſacrum miniſterium; ergo etiam nunc ita fieri debet. Imperator in ſuo territorio poteſt famæ reſtituere; ergo etiam noſter princeps. Imperator romanus fuit ſolutus legibus civilibus; ergo etiam noſter imperator

est solutus (non autem loquor de legibus per modum conventionis latis) Sic agnatus sine voluntate domini non potest juramentum deferre; non transigere, non petere restitutionem &c. *L. 27. π. de minor. L. 7. cod. de reb. cred.* eadem est ratio in aliis actibus speciale mandatum requirentibus; ergo non potest ea, quæ speciale mandatum requirunt.

§. 262.

Tandem devenimus ad soriten, quem facile percipies, si consideres §. 33. Nam quidquid prædicatur de superiore essentialiter & universaliter, id prædicatur quoque de omnibus inferioribus. Sic ergo quod ita prædicatur de specie, prædicatur etiam de individuis. Et quod prædicatur de genere, prædicatur de specie, consequenter de individuis, & ita progredior per genera intermedia usque ad summum. Cum ergo superiora essentialiter prædicentur de inferioribus, necesse est iis inesse, cum ab inesse sequatur prædicari. Unde in hoc manifesto exemplo procedit argumentum incipiendo a Petro:

Sub-

Subſtantia.
eſt
O. corpus
eſt
O. vivens
eſt
O. animal
eſt
O. homo
eſt
Petrus.

Conjungo ſic: Petrus eſt homo. O. homo eſt animal. O. animal eſt vivens. O. vivens eſt corpus. O. corpus eſt ſubſtantia. Ergo Petrus eſt ſubſtantia. Ubi primum ſubjectum componitur cum ultimo prædicato. Si quis dubitet, an mutuum ſit pactum, ſic procedat: mutuum eſt contractus realis; contractus realis eſt contractus verus; contractus verus eſt pactum non nudum; pactum non nudum eſt pactum, ſive duorum vel plurium in idem placitum conſenſus; Ergo mutuum eſt pactum. Ubi obſerva, quod prima propoſitio poſſit eſſe particularis, non reliquæ; quia alias major in prima figura fieret particularis, & ſi etiam ſecunda propoſitio eſſet particularis, ex

meris particularibus procederent Syllogismi in resolutione sorites. Quando negativa propositio probanda per soriten, ultima præmissa negativa esse debet, non reliquæ: e. g. probare volo, servum non posse contrahere, unde sic procedo: quic. dominio alieno est subjectus, non habet voluntatem. Quic. non habet voluntatem non potest consentire. Quic. non potest consentire non potest contrahere; ergo servus non potest contrahere. Dices, præmissas omnes esse negativas. Resp. negando, sunt enim subjecti & prædicati infiniti. Sed in his nolo Studiosos juris detinere diutius.

§. 263.

Videamus quomodo talis sorites reducatur ad Syllogismos. Quæ reductio sic fit: Secunda præmissa loco majoris ponatur, & prima loco minoris, & inferatur conclusio. In secundo Syllogismo tertia præmissa loco majoris ponatur, et conclusio primi Syllogismi loco minoris addaturque conclusio, quæ in tertio Syllogismo loco minoris ponatur addaturque conclusio, & sic porro. Unde apparet, quod subjectum secundæ; tertiæ & quartæ &c. præmissæ in sorite, re-

præ-

præsentet medium terminum. Primum ergo soriten resolvendo sic procedo: 1) O. homo est animal; Petrus est homo; Ergo Petrus est animal. 2) O. animal est vivens, Petrus est animal; Ergo Petrus est vivens. 3) O. vivens est corpus; Petrus est vivens; Ergo Petrus est corpus. 4) O. corpus est substantia, Petrus est corpus; Ergo Petrus est substantia. Alter sorites ita resolvitur: 1) Contractus realis est contractus verus. Mutuum est contractus realis; ergo mutuum est contractus verus. 2) Contractus verus est pactum non nudum. Mutuum est contractus verus; Ergo mutuum est pactum non nudum. 3) Pactum non nudum est pactum. Mutuum est pactum non nudum; ergo mutuum est pactum. (nunc autem mutuum non est promissi acceptatio, ergo falsum est, quod pactum in genere sit promissi acceptatio.) Tertius ita reducitur: 1) Quic. alieno dominio est subjectus non habet voluntatem. Servus est alieno dominio subjectus; Ergo servus non habet voluntatem. 2) Quic. non habet voluntatem non potest consentire, servus non habet voluntatem; ergo servus non potest consentire. 3) Quic.

non potest consentire non potest contrahere. Servus non potest consentire; ergo servus non potest contrahere.

§. 264.

Datur etiam sorites compositus (quo quidem studiosis juris parcere destinaveram propter difficultatem aliquam; quia vero re perpensa nullam difficultatem invenio, eum proponere non dubitavi) qui est concervatio plurium propositionum conditionalium, in qua antecedens primæ fit consequens secundæ, & antecedens secundæ fit consequens tertiæ, donec tandem antecedens ultimum cum consequente primæ conjungatur. Sed in hoc vix est aliquid diversum a §. 250. e. g. Doctorem juris præferri Doctori medicinæ sic probo:

Si jurisprudentia tractat nobilius objectum, aliis disciplinis præfertur.
Si Jurisprudentia tractat justitiam, tractat nobilius objectum.
Si Doctor juris tractat jurisprudentiam, tractat justitiam.
E. Si Doctor juris tractat jurisprudentiam aliis præfertur.

Hic

Hic sorites reducitur ad Syllogismos, si retineas primam & secundam propositionem, sive majorem & minorem, & inferas conclusionem secundum §. 250. atque hanc conclusionem in altero Syllogismo ponas loco majoris, & retineas reliquas duas propositiones ultimas sic:

Si jurisprudentia tractat nobilius objectum, aliis disciplinis præfertur.
Si jurisprudentia tractat justitiam, tractat nobilius objectum.
E. Si jurisprudentia tractat justitiam, aliis præfertur.
Si jurisprudentia tractat justitiam, aliis præfertur.
Si Doctor juris tractat jurisprudentiam, tractat justitiam.
E. Si Doctor juris tractat jurisprudentiam, aliis præfertur. vid. *Carpz. decis.* 7.

CAPVT IV.

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO.

§. 265.

SYLLOGISMVS demonstrativus est, qui gignit scientiam; quia enim scire

re est rem per causam cognoscere, hinc apparet, quod syllogismus demonstrativus assumat causam ad probandum & inferendum effectum. Ubi medius terminus in prima figura Syllogismi simplicis ponatur loco subjecti, & major terminus, qui est effectus, loco prædicati, in majore propositione. Et hoc procedit in omni causarum genere, scilicet efficientis, materialis & formalis (modo ponantur in unione) atque finalis, procedit-que in disciplinis theoreticis & practicis.

§. 266.

Quod causam efficientem attinet, ea hic accipitur latissime, non duntaxat pro ea, quæ per veram & realem actionem influit in effectum, sed etiam pro ea; ex qua ratione nostra per emanationem effectus procedit, sive ex rei essentia, sive ex affectione quadam priore profluat, sicut ex essentia dominii profluit ejus perfectio major, quam est in aliis juribus in re, ex hac perfectione sequitur præcedentia ante alios creditores hypothecarios quoscunque, & multo magis ante creditores simplices. Unde vindicantes res suas classibus creditorum se intromittere non tenentur, sed res suas vindicant ante omnes

omnes creditores. Sic ergo ex dominio fluit facultas rem ſuam vindicandi a quocunque poſſeſſore. 2) Facultas re ſua utendi fruendi. 3) Facultas alienandi. 4) Facultas pro derelicto habendi &c. Huc pertinent omnia jura, ſive *in re*, quæ per titulum aliquem mediante traditione producuntur, & actiones inde fluentes. Sive *ad rem*, quæ ex contractu &c. promanant. Ex *jure ad rem, ſive obligatione*, actiones perſonales, quæ ſunt facultates perſequendi in judicio, quod ſibi debetur. Unde omnes libelli, & probationes in foro ſunt Syllogismi demonſtrativi practici. Hinc quando cauſa ſpecifica debendi in inſtrumento eſt expreſſa demonſtrative & ſcientifice probat, quæ probatio deficit, ſi cauſa expreſſa non ſit. Iſtæ autem cauſationes in foro juridico non ſunt phyſicæ, ſed duntaxat morales & metaphoricæ. Per veram realem actionem influit in effectum, qui e. g. occidit, verberat; damnum dat &c. ubi (modo debita qualitas accedat ad factum ſive actionem phyſicam) demonſtrative concluditur: e. g. quic. ex proæreſi occidit, gladio eſt puniendus. Sed Titius occidit ex proæreſi; ergo Titius gladio eſt punien-

puniendus. Hæc concluſio eſt demonſtratio, modo minor ſit moraliter certificata.

§. 267.

Sic quoque a cauſa materiali & formali in unione poſitis argumentamur demonſtrative: e. g.

Quodc. teſtamentum habet debitam materiam & formam, id eſt validum & jure ſubſiſtens.

Sed teſtamentum inofficioſum (in quo filius inique eſt exheredatus) habet debitam materiam & formam.

E. teſtamentum inofficioſum eſt validum &c.

Aliud autem eſt validum eſſe, aliud iniquum eſſe. Nam illud eſt, quod (ſuppoſita cauſæ efficientis habilitate) habet, ut dictum, debitam materiam & formam (quod pertinet ad ſubſtantiam) hoc, quod eſt contra æquitatem & juſtitiam, (quod pertinet ad qualitatem) quod patet exemplo læſionis ultra dimidium juſti pretii in emptione vendit. &c.

§. 268.

A cauſa finali ita procedimus, quando cauſam iſtam ponimus loco medii termini,

mini, & effectum loco majoris termini in prima propositione. Minor vero terminus de quo demonstrare volumus, ponitur in secunda propositione, cum medio, & in conclusione fit combinatio minoris & majoris termini, sive effectus vid. §. 238. 239: e. g.

Quæc. pœna facit ad deterrendos homines a delicto reipublicæ maxime noxio, ea est justa.

Sed famosa pœna suspendii facit ad deterrendos homines a delicto furti reipublicæ maxime noxio.

E. famosa furti pœna suspendii est justa.

Item:

Quodc. spectat ad conservationem reipublicæ, id est licitum.

Sed in casu necessitatis publicæ auferre subditis bona spectat ad conservationem reipublicæ.

E. In casu necessitatis publicæ auferre subditis bona, est licitum. vid. *Andr. Gail. lib. 2. obs. 56. sq.*

§. 269.

Solent requirere ad demonstrationem, ut causa sit prima, id est propria & ad-

adæquata. Prima proprie est, qua non potest alia prior dari, quare affectio insit subjecto, vel quare effectus sequatur. Sufficit autem esse priorem conclusione, licet absolute prima non sit, sed jam per aliam demonstrata. Et ista, quæ dicitur prima, vel prior conclusione, est etiam immediata. Propria causa est, quæ sola est istius effectus causa. Adæquata causa est, quæ sola sufficiens est ad producendum effectum, econtra inadæquata est, quæ sola non est sufficiens, sed ad producendum effectum indiget adminiculo alterius causæ.

§. 270.

Ubi nota 1) quod quandoque duæ causæ adæquatæ influant in effectum unum, quod contingit in duabus causis finalibus; quo casu ab utraque causa sigillatim ad effectum concludere licet altera quoque deficiente, e. g. pater tenetur dotare filiam, ut inveniat maritum. 2) Ut sustineantur matrimonii onera; unde procedit hæc demonstratio:

Quic. tenetur filiam collocare in matrimonium, tenetur dotem constituere. *L. 19. π. de rit. nupt.*

Sed

Sed pater tenetur filiam collocare in matrimonium. *alleg. L.*

E. pater tenetur constituere dotem.

Item:

Quic. tenetur concurrere ad sustinenda matrimonii onera, tenetur dotare. *Nov. 22. cap. 18.*

Sed pater tenetur concurrere ad sustinenda matrimonii onera. *d. cap. 18.*

E. pater tenetur dotare filiam.

Licet ergo filia jam sit elocata, tamen pater adhuc tenetur constituere dotem. vid. *Andr. Gail. lib. 2. obs. 16.* unde sequitur, quod deficiente una ratione finali legis adæquata, *non cesset lex.*

§. 271.

Nota 2) quandoque plures causas concurrere ad effectum ita, ut neutra sine altera sit sufficiens ad producendum, sed omnes concurrere debeant; exemplum est in *L. 12. Cod. qui pot. in pignor.* ubi uxori ratione dotis restituendæ datum est privilegium prælationis, et ut dos sit salva, et propter periculum partus, & ob obsequia marito præstita. Quæ rationes omnes simul sumptæ causant dictum privilegium, et una seorsim sumpta

non sufficit. Hinc sponsa eodem non gaudet. Ex his satis patet, quod causa necessario debeat inferre effectum, consequenter hic ab illa dependere debeat, unde sequitur necessaria connexio causæ cum effectu. Et hæc, de qua hactenus, est demonstratio proprie dicta.

§. 272.

Datur etiam demonstratio improprie dicta: 1) quæ effectum de subjecto negat propter absentiam causæ remotæ vel proximæ, quia sublata seu negata causa, utique negatur effectus. Quamvis ergo posita seu affirmata causa remota non ponatur effectus, ea tamen remota removetur effectus, cum causa proxima sine remota agere non possit, cum proxima virtutem agendi habeat a remota. Hinc recte sic argumentor.

Cuic. lex duodecim tabb. facultatem testandi non concessit, testari non potest.

Sed lex duodecim tabb. filiofamilias facultatem testandi non concessit (dedit enim soli patrifam. integrum caput legis extat apud *Herennium lib. 1. his verbis: paterfam. uti legas sit*

sit super familia, pecuniave sua, ita jus esto.)

E. filiusfam. testari non potest.

Item:

Lex actioni post 30. annorum lapsum non concessit facultatem vivendi *L. 3. π. de præscr. 30. vel 40. ann.*

E. actio post 30. annorum lapsum ipso jure est mortua.

A negatione causæ proximæ utique procedit argumentum ad negationem effectus: e. g. quando res est vendita sub conditione resolutiva, ut in addictione in diem, existente conditione ipso jure resolvitur emptio vend. sic, ut nunquam fuisse videatur; ergo cessat ipso jure dominii translatio sic, ut nunquam translatum videatur, unde est commune illud: cessante causa cessat effectus. Ex quo principio facile intelligitur *L. 14. π. de adopt.* ibi filius adoptatus consensu patris adoptivi progeneravit nepotem avo; postea emancipabatur filius, & sic vinculum civile erat dissolutum, quæritur: an nepos maneat in avi potestate? Resp. quod non, ob dictam regulam.

§. 273.

2) Quæ probat causam per effectum, quod fit, quando effectus est notior (forte in lege expressus, quam causa, ubi effectus assumitur pro medio termino ad probandam causam:) e. g. quæritur: an permutatio sit perfecta, quando ex una tantum parte res est data, ut alter vicissim det aliam? *Carpz. part. 2. const. 13. def. 3. & constit. 33. def. 23.* negat. Sed potius affirmatur evidenti argumento ab effectu desumpto:

Si in dicto casu datur actio præscriptis verbis de permutato, contractus permutationis est perfectus.

Sed in dicto casu datur actio præscr. verb. de permutato *L. fin. Cod. de rer. permut.*

E. in dicto casu contractus permutationis est perfectus.

§. 274.

Quia ergo demonstratio est certa & evidens cognitio rei ex certis & evidentibus principiis sive præmissis deducta, sequitur, quod absentia hujus cognitionis sit ignorantia. Est autem ignorantia alia in theoreticis, alia in practicis & mo-

moralibus. In theoreticis est absentia cognitionis ejus, quam quis habere potest. In practicis est absentia cognitionis ejus, quam quis habere potest & debet. Est ergo ignorantia privatio cognitionis, quia autem hæc privatio plerumque habet cognitionem, & persvasionem veritati contrariam adjunctam, & ita concurrit error (nam error est persvasio vel cognitio veritati contraria) id circo JCti ignorantiam & errorem solent confundere, & eisdem idem est, an dicam: ignorantia juris, an: error juris, an: ignorantia facti, an: error facti. vid. *tit. π. & Cod. de jur. & fact. ignor.* De cetero ex dicto concursu ignorantiæ & erroris dicitur ignorantia pravæ dispositionis.

CAPVT V.

DE SYLLOGISMO DIALECTICO.

§. 275.

Syllogismvs dialecticus est, qui ex communi principio procedit & probat, & etiam topicus dicitur, quia ei assignantur certi loci seu sedes, ex quibus petuntur argumenta. Solet etiam dici Syllogismus probabilis, quia plerumque

probabiliter concludit, non ideo, quia maxima, unde procedit, est tantum probabilis, sed quia habet limitationes, quæ, cum omnes in argumento addi non possint, relinquitur aliqua formido contrarii. De cetero hæc argumenta sunt admodum apta ad docendum & discendum, ut ex decursu patebit. Plerumque autem huic Syllogismo octo loci vel sedes argumentorum assignantur, nam desumuntur argumenta I.) vel a vocibus; II.) vel a definitione; III.) vel a causis; IV.) a toto & partibus; V.) a subjecto & adjuncto; VI.) ab antecedentibus, consequentibus & circumstantiis; VII.) a comparatis & disparatis; VIII.) a testimonio. Sub istis tamen locis generalibus speciales continentur. Nos confusionis evitandæ causa hos locos per octo membra tractabimus, & juridicis exemplis utiliter declarabimus.

MEMBRVM I.

ARGVMENTVM A VOCIBVS DESVMPTVM.

§. 276.

A vocibus & nominibus probabile, & quandoque certum ducitur argumen-

mentum, & sic, quæ nomine differunt, re differunt. *Gœdd. ad L. 66. in fin. ff. de verb. signif.* quia ergo recipere & receptare voce differunt, & re differunt (illud enim significat simplicem receptionem ad breve tempus, & quasi ad momentum; hoc frequentem, & per majus tempus continuatam) idcirco qui bannitum (vel alium delinquentem) ad modicum tantum tempus recipit, non ordinaria, sed extraordinaria, receptatorum pœna est afficiendus *Gail. Lib. 2. de pac. pub. cap. 10. n. 35.* Ubi nota, quod nomina sint inventa ad significandas res *§. 29. Siquidem &c. Inst. de legat.* & ita rebus sint adaptata, ut sint eis convenientia *§. 3. Inst. de donat.* vid. supra §. 4. & 5. Sic immemorialis præscriptio, & centenaria differunt voce, tractatu & re. *Carpz. P. 1. con. 16. def. ult.*

§. 277.

Quod quandoque a voce certum ducatur argumentum, patet in sequenti casu: Pater arrogator vivus sine justa causa emancipat arrogatum impuberem. Iste pater filio ita emancipato tenetur relinquere quartam partem bonorum suorum. Quæritur an vivus teneatur præ-

ſtare dictam quartam, an emancipatus mortuo demum patre capiat? Reſp. mortuo eo, quod probo hoc evidenti argumento:

Quod relinquitur, poſt mortem capitur *L. 1. §. penult. π. de tabb. exhib.*
S. Quarta iſta relinquitur. *§. 3. Inſt. de adopt.*
E. Quarta iſta poſt mortem capitur.

Vide tamen ſupra §. 7. & nota, quod in loco a vocibus non tantum verba incomplexa, ſed etiam propoſitiones intelligamus. In vocibus autem attendimus præcipue ſignificationem, quæ æſtimatur vel ab origine, vel conjugatis, vel vſu, vel æquipollentibus.

§. 278.

Origo vocis vel vera eſt, vel alluſiva, rei tamen conveniens & approbata atque JCtis uſitata. Origo ſive derivatio vera eſt in hoc: inſtitor ab inſtando dicitur, quia negotio gerendo inſtat *L. 3. π. de inſtit. act.* concordia eſt quaſi conjunctio cordium *Gail. lib. 2. de pac. pub. cap. 18. n. 7.* Alluſiva eſt in hoc: teſtamentum a teſtatione mentis dicitur. Mentiri eſt quaſi contra mentem ire. Furtum a furvo,

furvo, sive nigro dicitur, quia plerumque nocte fit. Item a fraude. Sed quando ab auferendo dicitur, est vera derivatio. Interdictum (contracte) quasi inter duos dictum. *§. 1. Instit. de interdict.*

§. 279.

Ubi adverte, quod, ut argumentum ab etymologia procedat, etymologia & etymologatum debeant esse ejusdem significationis, hinc licet sponsalia a spondendo (id est stipulando & promittendo) dicantur, nuptiæ ab obnubendo, tamen non procedit argumentum; quia non sunt ejusdem significationis; nam significatio a prudentibus primitus imposita est mutata, sicut quarta legitima est mutata, ita, ut vox cum re non conveniat, & nomen quartæ est retentum tantum in memoriam antiquæ quartæ. Adverte 2) quod etymologia debeat desumi a parte essentiali non accidentali *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de just. & jur. §. 10.*

§. 280.

Quod nunc argumentationem attinet, ea procedit affirmative & negative ab etymologia ad etymologatum, & ab etymologato ad etymologiam, quando

utraque sunt adæquata: e. g. patrimonium derivatur a paterfamilias, & sunt adæquata, unde valet: est paterfamilias; ergo habet patrimonium. Habet patrimonium; ergo est paterfamilias. Non est paterfamilias; ergo non habet patrimonium. Non habet patrimonium; ergo non est paterfamilias. Ita quoque hoc argumentum procedit: est tutor, ergo habet jus tuendi pupillum. Habet jus tuendi pupillum, ergo est tutor. Non est tutor; ergo non habet jus tuendi pupillum. Non habet jus tuendi pupillum, ergo non est tutor. Ubi nota, quod potius ad jus, quam ad actum in huiusmodi argumentis sit respiciendum. Ad hunc §phum refer. *L. 3. π. de dam. infect.* ubi continetur tale argumentum: Damnum a diminuendo dicitur; quando ergo patrimonium tuum non diminuo, sed utilitatis meæ causa facio, meo jure ut adventitium lucrum ad te non perveniat, damnum non do. vid. etiam *princ. Inst. de libertin.*

§. 281.

Quando etymologia & etymologatum non sunt adæquata, id est, cum notatio excedit notatum, sive nomen, & notatum exce-

excedit notationem, vid. supra §. 35. Pluribus exemplis hic §phus utiliter exornari posset, sed temporis ratio habenda est, explicatio forte dabit plura veram jurium cognitionem desiderantibus.

§. 282.

Procedit autem dicto modo argumentum ab etymologia tantum in appellativis nominibus, non in propriis. Ratio diversitatis continetur in *L. 4. princ. π. de legat. 1.* quia appellativa substantiam indicant, ideoque sunt immutabilia. Propria autem pro arbitrio imponuntur & sæpe mutantur. Et licet forte ab initio nomen fuerit conveniens personæ, ejusque indoli, per successionem tamen mutatur convenientia cum indole personæ, atque incidit in aliam prorsus diversam indolem. Hinc non valet: vocatur Hartmannus; ergo est durus vir. Nominatur Christophorus; ergo Christum fert. Non procedit etiam argumentum, quando etymologia repugnat definitioni *Bartol. in L. 1. π. de acq. vel amitt. poss.*

§. 283.

A conjugatis procedit argumentum, quando sunt ejusdem significationis. Sunt autem

autem conjugata, quæ cognatam habent significationem, sive literis conveniant, sive non. Sic jus dicere & jurisdictio sunt conjugata; morbus & ægrotus; succedere in universum jus, & successio in universum jus; jure agere & juste agere; justus, & jure agere. Non vero sunt conjugata: ebrietas & ebriositas; quia illud actum, hoc habitum significat. Sic justa agere, & justus non sunt conjugata; quia illud materialiter, hoc formaliter accipitur. Sic quoque conjugata non sunt: contractus est ex bona fide, & est bonæ fidei. Omnis enim contractus est ex bona fide, sed non bonæ fidei. Sic actio præscriptis verbis de precario restituendo est ex bona fide, *L. 2. §. 2. π. de precar. in fin.* sed non bonæ fidei.

§. 284.

Regula: quod uni conjugatorum tribuitur, id etiam alteri tribuitur: e. g. quod legatum est cognationi, id etiam legatum est cognatis *L. 19. §. fin. π. de reb. dub.* Et quidquid de uno conjugatorum negatur, negatur etiam de altero; e. g. quod non est in fructu ad usufructuarium non pertinet. Sed liber homo non est

est in fructu; ergo ad usufructuarium non pertinet. Et de quo unum conjugatorum dicitur, de eo dicitur etiam alterum: e. g. Petrus jure suo utitur; ergo juste agit, & de quo unum conjugatorum negatur, de eo negatur etiam alterum. Petrus non habet potestatem jus dicendi, ergo non habet jurisdictionem; vel: ergo non est magistratus. Non habet jus procurandi pro alio negotia, ergo non est procurator. Brutum non est capax injuriæ, ergo nec juris. Hic tamen etiam attendendum puto, an conjugata sint adæquata, an se invicem excedant, ut in etymologia observavimus.

§. 285.

Inter conjugata autem abstracta & concreta eminent, cui enim concretum tribuitur, eidem etiam abstractum competit: e. g. in causis criminalibus jus dicitur, *L. 2. §. 23. π. de orig. jur.* ergo in causis criminalibus est jurisdictio; Magistratus jus dicit; ergo habet jurisdictionem. Et quod de concreto dicitur ratione denominationis & formaliter, id quoque de abstracto dicitur: e. g. tutor tuetur pupillum, ergo tutela est pupilli tuitio.

tuitio. Qui in communione vivunt sine societate conventionali, dicuntur socii. *§. 3. Inst. de oblig. quæ quasi ex contr. oriuntur.* Ergo ista communio potest dici societas.

§. 286.

In vocibus regulariter attendenda est propria significatio *L. 69. π. de legat. 3.* nisi mens loquentis & disponentis manifeste aliud svadeat *d. l.* Deinde communis & vulgaris intelligentia est attendenda, cum enim vulgarium hominum in civitate sit major pars, merito ad eorum usum est respiciendum, cum enim verba valeant sicut numi, omnino respiciendum, quid quolibet in loco valeant ad indicinam mentis, cujus gratia adhibentur *L. 65. §. fin. π. de legat. 3.* ut adeo non sit attendenda proprietas grammatica, quando communem habemus vocabulorum usum. *alleg. L. 69. §. 1.* Consequenter inter rusticos spectandus est eorum usus & consuetudo loquendi in loco eorum recepta, ne, dum verborum proprietas attenditur, amittatur sensus veritatis, & mens loquentis, quæ potior est voce, negligatur. Sic ergo vocabula secundum communem & vulgarem loquendi

quendi usum & non secundum intellectum juris sunt intelligenda. Sic dies & artificialiter & vulgariter significat 24. horarum spatium, ita, ut e. g. in decem dierum induciis includantur noctes. Sic *Heuraths-Guth; Mitgifft; eingebracht Guth; Ehe-Gelder* significant in Saxonia, bona dotalia *Carpz. part. 1. const. 28. def. 86.* quod habet usum in jure prælationis. Per vocem, *der Altar-Leute* intelliguntur sacerdotes, sive pastores *Carpz. jurisprud. consistor. lib. 2. def. 323.* per ministros Ecclesiae vulgariter & proprie significantur tantum pastores. Hinc annus gratiae non pertinet ad ædituos *Carpz. d. loc. lib. 1. def. 226.* Quod concernit verba ambigua, ea stant pro famosiori significatu. vid. supra §. 12. Excipe, nisi contrarium appareat ex contextu, vel subjecta materia, utpote si in causa summaria, in casu delati juramenti actori vel reo juramentum imponat judex hac formula: *Daß Beklagter den ihm zugeschobenen Eyd zu schweren, oder sein Gewissen mit Beweiß zu vertreten schuldig.* Ubi non ordinaria, sed summaria probatio, vel potius demonstratio intelligitur, pro exigentia subjectæ materiæ. *Griebn. princip. proc.*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0291
DFG

proc. lib. 1. cap. 4. sect. 3. §. 5. vid. supra §pho 12. Idem est, si ex similibus locis aliud pateat. Excipe 2) nisi ratio dispositionis contrarium svadeat: e. g. instrumentum proprie significat scripturam, improprie, vel minus proprie, denotat etiam testes *L. 1. π. de fid. instrum.* Si nunc ponamus statutum esse, quod falsum instrumentum producens sit puniendus, hoc extenditur ad falsum testem producentem; ratio enim statuti in utroque casu est eadem, nempe quia statutum nequitiam & malitiam producentis voluit punire. Idem est in Notario ante publicationem revelante acta secreta. Excipe 3) nisi absurditas ex communi intellectu sequeretur. Ad quod declarandum prius exemplum servire potest; nam si in statuto non intelligeretur falsum testem producens, sequeretur absurdum contra manifestam & optimam statuentium rationem, quod producens falsum testem esset impunis. Denique inter artifices intelliguntur verba, prout in arte sunt recepta. Sic inter JCtos accipiuntur secundum intellectum juris; nam artifices sunt assueti terminis suæ artis.

§. 287.

§. 287.

Præterea fallit regula de communi vocabulorum usu attendendo, quod locum non habeat, si verba in aliud idioma sint translata, tunc enim recurrendum est ad linguam originalem. Hinc ex verbis *Nov. 117. cap. 1. §. 1. quocunque volunt modo disponere*, non sequitur, quod filiifamilias de peculio adventitio irregulari possint testari; quia dicta verba in græco textu, unde sunt desumpta, alium habent sensum, & significant dispositionem per actum inter vivos.

§. 288.

A natura numeri singularis & pluralis argumentamur (dicimus autem singularem numerum, qui non tam terminatione, quam significatione talis est. Idem de plurali, nam populus significatione plurale est; *literæ*, *nuptiæ*; *sponsalia*; *liberi*; *codicilli* significatione singularia sunt:) 1) si textus in singulari loquatur, regulariter in uno verificatur: sic, ut debitor constituatur in mora, requiritur interpellatio, & sufficit una. Excipitur *a*) nisi singulare pro plurali ponatur, quod maxime colligitur ex sub-

jecta materia e. g. qui effuderit sanguinem hominis in homine (id est contestante homine) ejus sanguis effundetur. Quod hic vox: *in homine*, pro plurali accipiatur, inde patet, quia non in unius, sed duorum vel trium testium ore consistit veritas. Quando filio meo do tutorem, omnibus dedisse videor *L. 16. §. 1. π. de testam. tut.* Nam indefinita propositio æquipollet universali, quando omnium eadem est ratio, quod tamen non extenditur ad filios ignoratos. Sic quoque quando posthumum instituo heredem, & plures nascantur, omnes censentur instituti; quia omnium est eadem ratio, & est res favorabilis *L. 4. π. de lib. & posth. hered. instit.* Secus ergo est in materia odiosa, ut exheredationis vid. *L. 2. ibid.* *b*) Excipitur, si vox sit collectiva, & non certum individuum significet, sed accipiatur vel in ampliatione: e. g. imperator eligitur ab electoribus; ubi intelliguntur imperatores successive omnes. Vel ordinem, & gradum denotet, e. g. Lex duodecim tabb. proximum agnatum ad successionem vocat. *§. 5. Instit. de legit. agn. succ.* Ubi lex respicit proximitatem gradus, & si in eodem gradu sint

sint plures, non excluduntur; cum in omnibus sit eadem ratio. 2) Si textus in plurali loquatur, ad minimum duo requiruntur; quia pluralis locutio duorum numero contenta est *cap. 40. de reg. jur. in 6to.* Sic si quis ob justum metum appellare impediatur, & copiam judicis habere non possit, coram bonis viris super hoc protestari, & causas appellationis exponere potest, ubi sufficiunt duo, non pauciores, nisi tamen lex plures, quam duos requirat.

§. 289.

Aliquando tamen pluralis locutio uno numero est contenta, quando de mente loquentis constat vel ex conjecturis: e. g. si testator heredem institutum gravet fideicommisso, *si sine liberis decesserit*, & is moriatur uno filio, vel nepote relicto. Hoc casu conditio, consequenter fideicommissum deficit *L. 1. cod. de condit. insert.* quia ex conjectura voluntatis testatoris non videtur sine liberis decessisse is, qui unum reliquit. vid. etiam *L. 4. cod. quand. dies leg. vel fideicom. ced.* Vel ex natura rei: e. g. 2. *feud. 30.* dicitur, quod in feudis fœmineis masculis existentibus non succedant filiæ, ubi

etiam unus masculus excludit fœminam, quia regularis feudi natura est, ut fœminæ non succedant, a qua quam minimum videtur recessum, potest etiam hoc exemplum ad sequentem casum referri. vid. etiam *L. 8. cod. de revoc. don.* & nota quod in dictis casibus in uno sit eadem ratio, quæ in pluribus, vid. *Henric. Zœs. ad tit. π. de donat. n. 119.* De cætero pluralis locutio plures requirit, quando pluralitas est de forma negotii *Zœs. de loc.* & quando in uno non est eadem ratio, quæ in pluribus, atque ita necesario plures requiruntur. Vel quod loquens plures casus respexerit. Sic ad confectionem inventarii requiruntur Notarii *L. fin. §. 2. 3. Cod. de jur. deliber.* sufficit tamen in cujuslibet inventarii confectione unus; quia imperator plures casus futuros respexit. Sic quoque statutum requirens consensum propinquorum verificatur in uno. *Brunnem. ad L. 33. §. fin. π. de condit. & demonstr.*

§. 290.

Quomodo argumentemur a particulis exclusivis, satis patet ex §. 166. 167. hic tantum nota, quod particula exclusiva excludat duntaxat dissimilia, non *a)* quæ

eadem

eadem sunt, e. g. licet fidejussor dixerit, se tantum velle esse obligatum, non excluditur heres; quia est eadem persona cum defuncto fidejusore, & ita per dictam particulam exclusivam excluditur tantum extraneus. Non *b*) quæ similia sunt, & parem rationem habent. Sic quando dicitur solum adulterium dirimit matrimonium, non excluditur malitiosa desertio, quæ similem habet rationem cum adulterio, cum etiam adversetur fidei conjugali. Excludit tamen dicta particula etiam similia, quando versamur in 1) materia odiosa, sic si pœna statuatur adjecta particula tantum, excluduntur similia. 2) Quando ex enumeratione similium apparet omnia alia etiam similia esse exclusa. vid. *Nov. 115. cap. 3. L. fin. Cod. de revoc. don.* Quoad has duas leges nota, quod contineant quoque pœnam, quæ extendi non debet.

§. 291.

Quod dictum, particulam exclusivam excludere dissimilia, est intelligendum de dissimilibus ejusdem generis (uti in dd. legibus continentur causæ ingratitudinis, & insuper sunt pœnalia) non de

dissimilibus diversi generis. Sic ergo in *d. L. fin.* non excluditur revocatio ex causa supervenientiæ liberorum 2) non excludit dissimilia, si jura corrigerentur, vel abrogarentur, exemplum est in *L. pen. Cod. de testam.* & *L. ult. §. fin. cod. de bon. quæ liber.* (Nam correctio legis non per consequentiam, sed expressis verbis fieri debet.) 3) Non excludit ea disimilia, de quibus non cogitavit loquens. 4) Non excluduntur disimilia, si oriretur absurdum ex exclusione.

§. 292.

Porro a natura dictionum implicativarum argumentamur. Sunt autem implicativæ, quæ præter se adhuc aliam propositionem continent, & quasi tacite indicant, sunt autem particulæ implicativæ hæ: *etiam, quoque, etiamsi, licet, quamvis, ne, nec, et, præter, amplius, ultra, &c.* quæ tantum implicativæ sunt. Aliæ insuper præcipuum aliquid in casu expresso denotant, quales sunt: *maxime, præsertim, magis.* In utrisque argumentamur a particula implicativa in contrario consensu: e. g. permutatio est, quando pro tua re venali do aliam rem, licet non

taxa-

taxata quantitate; ergo etiam, quando aliam do taxata quantitate, est permutatio non venditio; quia particula: *licet* est implicativa & ampliativa *Coccej. jur. controv. ad tit. de permut. q. 6.* vid. *§. 2. Instit. de his, qui sui, vel alien. jur. sunt.* ibi: sed & dominorum interest; ergo etiam alicujus alterius, scil. reipubl. interest. Lego uxori armillas, inaures, & quæ uxoris causa parata sunt. *Et*, implicat alias res præter enumeratas *L. 46. & ibi Brunnem. de leg. 3.* Ex voce *quoque* in *L. 41. §. 2. π. de vulg. & pupill. substit.* probatur, quod filius, cui pupillariter substituitur, tempore mortis paternæ & conditi testamenti debeat esse in potestate. vid. *§. 7. Instit. de act.* ubi ex particula, *maxime*, concluditur, quod pignus etiam in rebus immobilibus esse possit. Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis obest *L. §. π. de jur. & fac. ignor.* ergo multo minus feminis. Iuris autem error nec feminis in compendiis prodest d. *L. §.* ergo multo minus maribus. Ex particula *præsertim.* in *L. unic. cod. quand. imper. inter pup. &c.* concluditur, istas personas statim coram imperatore agere posse, licet non perhorrescant potentiam

alicujus. Ubi nota, quod particula *maxime* aliquando abusive, & taxative sumatur (non implicative & ampliative) vid. *Brunnem. ad L. 8. π. de reb. dub.* inquiens: particula hæc addita causæ finali stat taxative.

§. 293.

A natura particularum alternativarum argumentamur. Ubi tamen prius inspiciendus est §. 147. & 148. & observandum, quod alternativa propositio accipiatur juxta sensum §phi 148. Quando ergo quis duo vel plura alternative promittit, unum præstando liberatur, & habet electionem, & si unum eorum casu perierit, obligatur adhuc ad alterum, est enim obligatio indeterminata, vaga & confusa (idem est, si actui plures conditiones alternative adjiciantur, tunc enim unam impleri sufficit.) Quid si una culpa debitoris perierit? Resp. si nobilior superfit, debitor non liberatur æstimationem deterioris, quæ periit, præstando; debitor enim facto & culpa sua se liberare non potest ab obligatione rei præstandæ, e contra casus jus ejus, id est electionem evertere non potest.

§. 294.

§. 294.

Hic *Carpz. part. 2. const. 34. def. 7. Joh. Brunnem. ad L. 1. π de reb. dub.* ex *d. l.* ponunt regulam, quod alternativa sit inter duo æqualia, vel non multum distantia. Hinc probat d. *Carpz.* non sufficere in remedio *L. 2. Cod. de resc. vend.* si justum pretium suppleatur usque ad dimidium, sed vel rem restituendam, vel totum justum pretium supplendum; nam unum membrum disjunctivæ declarat alterum. Sic quando dicitur alicui injungenda pœna fustigationis vel alia, per aliam neque mortis, neque pecuniaria pœna intelligitur *Brunnem. d. loc.* aliud exemplum suppeditat *d. L. 1.* Fallit tamen posita regula, quando per illud aliud non potest intelligi, nisi dissimile *Brunnem d. loc.* ubi nota, quod in *L. 9. pr. in fin.* particula *et* sic accipienda pro: *aut.*

§. 295.

A particula copulativa ad singula membra seorsim sumpta valet consequentia: e. g. Nobilis & rusticus habet jus ciuitatis; ergo rusticus habet jus civitatis. Fallit, si particula *et* conjungat tantum terminos, ut separari non pos-

sint, & sic collectim sumantur: e. g. & destinatio & adhibitio ad usum sacrum, rem mobilem facit sacram, unde non sequitur, ergo destinatio facit rem sacram. Et introductio appellationis, & insinuatio citationis ad prosequendam appellationem requiritur, ut appellatio fiat communis, unde non sequitur, ergo introductio facit communem appellationem. *L. 28. Cod. de appell.* cui non obstat *L. 39.* ibid. quia ex ejus verbis satis colligitur, quod citatio appellato sit insinuata.

§. 296.

Quomodo ab æquipollentiis argumentari liceat, colligitur ex §pho 205. hic adhuc adde exempla: Testator mandavit rem servari in familia; ergo prohibuit alienare. Sic præcepta affirmativa continent negativa: e. g. pacta sunt servanda; ergo non violanda. Et præcepta negativa continent affirmativa: e. g. furtum non est faciendum; ergo cuilibet suum relinquendum, sic quod permittit Lex, simul prohibet, ne alter prohibeatur, & ne puniatur. vid. *Joh. Brunnem. ad L. 7. π. de legib.* Hac occasione utiliter nota, *L. 12. π. de judic.* ubi, quan-

quando magistratus pluribus quid committit (idem est, quando Lex vel statutum quid permittit) & deinde unum prohibet, ceteris id concesisse & confirmasse videtur. Unde inferunt DD. quod inclusio unius sit exclusio alterius. Quod tamen exceptionem patitur in connexis. De cetero ab æquipollentia non valet argumentum, quando certa verba pro forma negotii requiruntur, ut in baptismo. Miram baptizandi formam vid. *can. 86. dist. 4. de pœnitentia*, ubi sacerdos ignarus latinæ linguæ ita baptizaverat: *in nomine patria, & filia, & spiritus sancta.* Quæritur an valeat baptismus? & Resp. quod sic, quia ipsi dicta verba idem significabant; ac *in nomine patris, & filii, & spiritus sancti.*

MEMBRVM II.

ARGVMENTVM A DEFINITIONE DESVMPTVM.

§. 297.

VIDE §phum 96. n. 3. §phum 33. & 34. hic adhuc nota, quod posito sive affirmato genere universaliter, ponantur sive affirmentur omnes species & partes: e. g. legatus est Titio omnis fundus Sejanus.

janus. Ubi etiam ea pars dicti fundi est legata, quæ testatori est oppignorata *L. 68. pr. π. de legat. 3.* Omnis alienatio rerum sacrarum, & immobilium dotalium, & pupillarium est prohibita; ergo etiam oppignoratio; servitutis impositio; in emphyteusin; usumfructum datio est prohibita *L. fin. Cod. de reb. alien. non alienand.* Ex *alleg. L. 68. & can. 1. distinct. 19.* conficitur regula hæc: Qui omnia dicit nihil excludit. vid. tamen *L. 101. de Leg. 3.* Hæc tamen regula limitatur, quando vox adjecta indicat generalitatem restringi: e. g. Titio omnium bonorum mobilium ususfructus legatus est, ubi non intelliguntur mobilia usu consumptibilia, nec pecunia; quia ususfructus in consumptibilibus proprie non est; testator autem, si aliud non exprimat, censetur ordinario juri se accommodasse. vid. *Joh. Brunnem. ad L. 29. π. de usufr.* Titio legata sunt omnia dulcia. Ubi continentur dulcia liquida, & arida ex dicta regula. Quando autem legatum est vinum malvaticum & canariense, & omnia dulcia, intelliguntur tantum dulcia liquida; quia genus per species restringitur, non ampliatur, sive species præcedant, sive subse-

quan-

quantur genus; sive enim dicam: bona mea mobilia omnia, sive: omnia mea bona mobilia lego, nihil interest.

§. 298.

Huic proxima est altera Regula: Quæ generaliter ponuntur, generaliter sunt intelligenda, & generalis dispositio tantum operatur in speciebus, quantum specialis expressio singulorum: e. g. si cautum sit, ne luminibus officiatur, verbo generali omne lumen continetur; sive quod in præsenti est, sive quod post tempus conventionis contigerit. *L. 23. π. de servit. urb. præd.* Ex hac regula patet, quod etiam suppellex illata in prædium urbanum conductum sit pignori tacito obligata, ob generalem & indefinitam locutionem *L. 4. pr. π. de pact. & L. 7. in fin. π. in quib. caus. pign. vel hypot. tac. contrah.* Simpliciter renuncians successioni, tam testamentariæ, quam legitimæ; tam civili, quam prætoriæ, id est, bonorum possessioni renunciasse videtur. *Zæs. ad tit. π. de acqu. vel amitt. hered. n. 54.* vid. supra §. 159. seq.

§. 299.

Quod dictum generalem locutionem generaliter esse intelligendam, & indefinitam

finitam æquipollere universali, ita limitatur, ut non comprehendat ea, quæ quis, si monitus fuisset, verisimiliter in specie non fuisset concessurus *L. 60. §. 4. π. mand. L. 6. & duabus seqq. π. de pign. & hypoth. L. 54. §. 1. π. locat. cap. 81. de reg. jur. in 6to.* Hinc generaliter concessa immunitate censetur tantum concessa a personalibus, non realibus oneribus. Et concessa jurisdictione simpliciter, censetur tantum inferior, non criminalis concessa; quia hæc pertinet ad regalia. Et si lis fuit de re speciali, & transactioni super ea factæ addam generalem clausulam: *nihil amplius a te petam*, hæc restringitur ad præcedentia *L. 31. π. de transact.* unde formatur, regula quod generalis locutio non extendatur ad non cogitata; (præcipue si dolus adversarii concurrat. vid. *L. 35. π. de pacto*) & quod clausula in fine dispositionis posita referatur ad antecedentia. Quod Pontifex in *cap. 41. X. de appell.* latius extendit ita, ut clausula in principio posita referatur ad subsequentia, & in medio posita, ad antecedentia & subsequentia; in fine vero posita ad omnia antecedentia. Ubi tamen Pontifex monet intentionem loquen-

quentis attendendam esse, quam ex causa finali colligendam esse innuit dic. loc. Consonat *L. 3. §. 1. π. de liber. & posth. hered. &c. L. 43. §. 2. π. de vulg. & pupill. substit.* quem casum in gratiam LL. cultorum breviter exponere cupio, est autem hic: Cajum filium meum exheredo, Titium vero instituo; &, si Titius heres non erit, Sempronium instituo; Sempronio substituo Mævium. Hic filius ab omnibus gradibus censetur exheredatus; quia clausula in principio posita refertur ad omnia subsequentia; quia exheredatio videtur posita in principio fundandi testamenti causa. Idem est, si post omnes gradus facta sit exheredatio; quia clausula in fine posita solet præcedentia determinare, etiamsi non exprimatur, apparet tamen hoc scriptum eo consilio. *L. 1. Cod. de impuber. & aliis substit.* Inter duos autem gradus posita exheredatio ab utroque excludit. *L. 3. §. 2. π. de liber. & posth. hered. &c.* Cum in medio posita clausula tam ad sequentia, quam ad præcedentia pertineat *d. L. 3. §. 2. Zæs. ad alleg. tit. de lib. & posth. hered. &c. n. 6.* nisi aliam voluntatis conjecturam faciant adjuncta. Unde non omnino subsistit

Stryk.

Stryk. in Tract. de Caut. testam. cap. 19. §. 15. De cætero, quomodo generalis renunciatio intuitu certi contractus, aut rei, aut personæ facta restringatur, vid. *Carpz. p. 2. c. 16. def. 15.*

§. 300.

Quomodo a specie ad genus, & universim ab inferioribus ad superiora argumentemur, vid. §. 33. supra. Hoc saltem hic nota, quod ab una specie ad aliam argumentari liceat ita, ut quod obtinet in una, obtineat etiam in altera ob identitatem rationis *Joh. Brunnem. ad Lib. 1. Cod. ad tit. 16. de suar.* Sic a rebus ad personas firmum est argumentum. Ita: bona heredis post aditam hereditatem pro debitis defuncti possunt arrestari; ergo etiam persona heredis. Bona fidejussoris possunt arrestari; ergo etiam persona fidejussoris *Carpz. part. 1. constit. 30. def. 6. & 7.*

§. 301.

Quæ de specie universaliter dicuntur, vel negantur, ea quoque de individuis affirmari, vel negari debent. vid. §. 33. 34. & §. 262.

§. 302.

§. 302.

Hic obſervatur regula multum utilis: ſpecies excepta firmat regulam in caſibus non exceptis. Ratio; quia quod excipitur debet contineri ſub ſubjecto propoſitionis generalis; quod enim ſub aliquo non continetur, ab eo excipi nequit. e. g. in omni contractu locum habet compenſatio; hæc eſt regula, a qua excipitur depoſitum; ergo in commodato locum habet, quod enim non excipitur a regula, manet ſub ejus diſpoſitione. Non tamen exceptio firmat regulam in caſu non excepto, ſi in alio loco alius caſus excipiatur, e. g. uxor non eſt dimittenda, niſi ob adulterium *Matth. 19.* inde tamen non ſequitur, quod propter malitioſam deſertionem non ſit dimittenda; quia hic caſus alibi eſt exceptus. Idem eſt, quando de caſu non excepto non eſt cogitatum: e. g. conductor in ſe recepit caſus fortuitos, excepto caſu belli vel peſtis. Unde non poſſum concludere, quod receperit caſum inſolitiſſimum, qui forte vix mille annis contingit v. g. caſum ingentis terræ motus; quia conductor de eo non cogitavit. Item exceptio non firmat regulam in ca-

sibus non exceptis, quando casus non exceptus sub regula non continetur (rationem vide in princ. hujus §phi) Casus est in *L. 32. §. 2. π. de usufr. leg.* lego usumfr. domus cum omnibus, quæ ibi sunt, excepto argento. Ubi res venales, ibi existentes non censentur legatæ. vid. §phum 89.

§. 303.

A differentia (coincluso genere) argumentamur ad speciem affirmative & negative & contra. Sed hæc argumentatio est eadem, quæ a definitione ad definitum &c. ergo nil aliud de hoc argumento observandum.

MEMBRVM III.

DE ARGVMENTO A CAVSA AD EFFECTVM, ET AB EFFECTV AD CAVSAM.

§. 304.

POSITA causa ponitur effectus. Hinc qui vult causam, vult effectum, & omne illud, quod ex ea causa sequitur. Sic, qui vult lethale vulnus, vult mortem, & qui mandat vulnerare, vult mortem, & est causa mortis. Intelligitur autem

tem regula de causa inesse causæ, & in causa efficiente absoluta operatione. Sic ex dominio oritur facultas alienandi & oppignorandi, & explicato dominii exercitio sequitur actualis alienatio & oppignoratio. Hinc qui rem emit sub pacto addictionis in diem resolutivo, vel legis commissoriæ, potest alienare & oppignorare. Debet etiam causa esse apta & per se influens in effectum, scilicet talis, cui tribuitur effectus, in quem revera influit; alia est enim causa per accidens, id est, cui quidem tribuitur effectus, sed tamen in eum non influit. Sic si tibi inflixerim vulnus non lethale, & ob negligentiam in medendo commissam moriaris, sum causa per accidens mortis, licet sim causa per se vulneris. Sed de his plura in metaphysicis. Procedit autem regula secundum ordinem naturæ & juris; nam causa superior, ut Deus, & jus potest impedire operationem. Sic ignis in fornace babylonica non ussit tres pios viros injectos; quia Deus subtraxit concursum suum ad urendum requisitum. Sic fœmina ex sua fidejussione conveniri non potest; quia jus denegat actionem, & in diem obligatus ante ejus lapsum

conveniri non potest, quia jus subtrahit vires actioni. Huc ex *L. 76. π. de judic.* refero, quod manente forma (& materia, saltem in genere, & per surrogationem) maneat eadem res: v. g. collegium.

§. 305.

Negata causa negatur effectus. Est autem effectus duplex, vel enim in fieri (id est, dum fit & in esse producitur) tantum dependet a causa; vel in fieri, & in facto esse dependet. De effectu, qui dependet a causa efficiente in fieri tantum, regula ita intelligitur: Si causa cum sua causalitate non præcessit, non est effectus, sed tunc non requiritur, ut causa semper existat; ita domus manet, licet architectus mortuus sit. Usumfructum (cujus causa efficiens est patria potestas) pater retinet, licet filius sit mortuus, & ita dissoluta potestas. Matrimonium; emptio venditio &c. dependet a mutuo consensu in fieri tantum. Licet ergo mutuus consensus cesset, ex post facto, non tamen cessat matrimonium; emptio venditio. (nisi quo ad hanc re integra dissensum sit) Quando effectus dependet a causa in fieri & in facto esse, sive con-

conſervari, tunc quandocunque deficiente cauſa deficit effectus; exempla ſunt in cauſa efficiente; materiali; formali; finali. *In efficiente*, e. g. in venditione ſub lege commiſſoria, vel ſub pacto addictionis in diem reſolutivo ab initio, dominium transfertur propter cauſam venditionis, qui effectus traditionis durat ſubſiſtente cauſa, ſcilicet venditione, qua ceſſante ceſſat traditionis cauſa, adeo, ut emptor eam nunquam habuiſſe videatur, cum iſte defectus trahatur retro ad initium contractus, ut etiam, licet vere empta ſit, habeatur res tanquam nunquam empta, & quæ nunquam tranſierit extra dominium venditoris propter pactum adjectum venditioni. Hinc ſequitur, quod tempus, quo res fuit apud emtorem, accedat venditori illique proſit ad uſucapionem. *Zœſ. ad tit. π. de leg. commiſſ. n. 6.* Et quia pignus dependet a dominio, ſequitur quoque, quod pignus ab emptore ante exiſtentiam conditionis conſtitutum expiret exiſtente conditione. Sequitur etiam quod in addictione in diem fiscus gabellam habeat ſine cauſa, & nondum ſolutam petere non poſſit. Secus, quo ad gabellam, videri poteſt in lege com-

missoria; quia culpa emptoris retentionis causam præbere potest. *In materiali.* Sic finito negotio (tanquam materia objectiva) cujus gratia inita est societas, tollitur societas *L. 63. §. fin. π. pro soc.* Naturaliter vel civiliter mortuo socio (tanquam materia subjectiva) tollitur Societas; item amissis bonis. *In formali:* Ita dissoluta domo tollitur domus, quia desinit forma domus. Possessione interrupta tollitur usucapio; quia possessionis continuatio est causa formalis usucapionis. *In finali* exemplum est in *L. 52. §. 1. Cod. de episc. & cleric.* ubi clericis datur immunitas ab onere tutelæ & curæ, addita ratione finali: ut omnibus derelictis aliis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant, quæ ratio cessat in desidibus & vagantibus *d. l.* Unde apparet, quod, quando ob certum exercitium privilegium datur, ut eo liberius obeatur, eo neglecto non competat privilegium. Non tamen cessante causa finali cessat effectus, si causa ex postfacto cesset, v. g. si mihi aliquid legatum, ut Titio alimenta præstem, si semel legatum acquisivi, illo mortuo non teneor restituere legatum. *L. 8. π. de alim. & cib. leg.*

§. 306.

§. 306.

Causa causæ est etiam causa causati. *a*) In genere causæ efficientis: e. g. arrogatio est causa patriæ potestatis; patria potestas est causa ususfructus in bonis arrogati, vid. *L. 6. π. quod vi vel clam.* *b*) In genere causæ finalis: e. g. dos datur propter nuptias; donatio propter nuptias datur propter dotem; ergo donatio propter nuptias est, & recte dicitur propter nuptias. Non ergo corrigendus est Justinianus in *§. 3. Inst. de donat.*

§. 307.

Qualis causa talis effectus. Hæc regula procedit *a*) præcipue in causa efficiente. Unde natum est illud decantatum: limitata causa limitatum producit effectum. Hinc statutum principis non extenditur ultra limites ejus territorii. Item Titius erit tutor liberorum meorum usque ad tres annos. Item Titio lego usumfr. pro indigentia sua. Item locatio ad longum tempus non transfert dominium; quia intentio locatoris est limitata ad usum. Procedit autem regula principaliter in causis univocis & qualitatibus substantialibus sive essentialibus:

e. g. pater est homo; ergo & filius. Est jus reale, ergo producit actionem realem. In causis æquivocis & moralibus tantum probabiliter procedit, scilicet si ea qualitas in operatione concurrat, & active se habeat: e. g. est insignis JCtus, ergo ejus consilium est bonum &c. pater est bonus, ergo & filius, si scilicet ejus dictis sit audiens. *b*) In causa finali: e. g. cujus finis bonus est, id ipsum bonum est. Sic ergo media participant suam bonitatem a fine bono. Econtra media participant malitiam a fine malo: e. g. conservatio sui est bona & præcepta, ergo etiam defensio. Fallit tamen hæc regula, quando medium per se est malum. Sic furari, per se, & intrinsece malum est, nec potest fieri bonum propter bonum finem. Hinc furtum propterea factum, ut dentur eleemosynæ, non fit bonum.

§. 308.

Quod quis per alium facit, ipse fecisse putatur, utpote si mandet; svadeat; consilium det, modo sit consilium non generale, sed instructorium *L. 50. §. 3. ff. de furt.* quod scilicet vias & occasiones delinquendi monstrat, vid. *Hartung. metaph.*

taph. jurid. cap. 7. §. 7. & seqq. Andr. Gail. lib. 1. de pac. pub. cap. 1. n. 43. seqq. usque ad fin.

§ 309.

Propter quod unum quodque tale, illud magis tale est. Id est, qualitas existens in effectu multo magis existit in causa: e. g. Instrumentum guarentigiatum habet paratam executionem propter recognitionem & confessionem; ergo multo magis, si debitor confiteatur judicialiter sine productione chirographi *Carpz. proceff. tit. 22. art. 1. n. 21.* Item filia vasalli deficientibus aliis bonis ex feudo est tumulanda; ergo multo magis pater vasallus. *Struv. Syntagm. jur. feud. cap. 14. §. 20. exegesi.* vid. *Carpz. part. 3. const. 11. d. 35.* Item quando fidejussor condemnatur evictionis nomine propter prædium evictum. Si hic velit præstare prædium cum eo, quod interest, admitti debet; quia debet quantitatem præstare propter rem, quo casu res pro quantitate solvi potest. *Joh. Brunnem. ad L. 15. π. de dol. mal. & metus excep.* modo omnia sint in pristino statu, nec res deteriorata. vid. *de Berg. œcon. jur. lib. 3. tit. 3. th. 11. not.* Sic intelligitur *L. 45. princip. π. de solut.*

lut. Zæs. ad tit. π. de fid. instr. n. 5. ibi: instrumentum probat propter protocollum Notarii unde desumptum; ergo protocollum magis probat. In gratiam studiosæ juventutis per rationes studere cupientis hunc adhuc casum proponere cupio: scilicet heres fiduciarius in trebellianicam imputat, quæcunque a testatore quocunque titulo accepit. In falcidiam vero heres tantum ea imputat, quæ titulo heredis accepit. Quæritur, quæ sit ratio diversitatis? Resp. quia testator magis diligere censetur fideicommissarium, quam fiduciarium, quod ex *§. 1. Inst. de fideicomm. hered.* colligi potest, ibi enim innuitur, quod testator fiduciarium diligat propter fideicommissarium; ergo hunc multo magis diligit; major autem dilectio majus commodum adfert. Econtra heredem magis censetur diligere, quam legatarium.

§. 310.

Ab effectu quoque ad causam argumentamur affirmative & negative; accipitur autem effectus vel late vel stricte. Late accipitur pro omni causato. Stricte pro effectu causæ efficientis, sic hic præcipue considerabimus. vid. §. 272. Sic

Sic ergo ex effectu concludimus causam, modo ista sola sit istius effectus causa. vid. §. 231. in fin. quia ergo uxor soluto matrimonio dotem vindicare potest *L. 30. Cod. de jur. dot.* sequitur, quod habeat dominium, vid. *L. 23. π. de rei vindic.* Sic quoque precario possidens habet interdictum uti possidetis adversus turbantem, extra dantem; *L. 17. π. de precar.* ergo habet possessionem. Item violentus possessor habet hoc interdictum adversus quemcunque turbantem, a quo non habet violenter; ergo habet possessionem *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de acqu. vel amitt. poss. §. 9. n. 4.* Negative argumentamur ab effectu ad causam ita, ut omni effectu negato vel remoto, negetur causa: e. g. in toto jure nulla reperitur actio, qua debitor agat adversus creditorem ad recipiendam pecuniam; ergo creditor non obligatur debitori. Quod est contra *Freb.* statuentem in mutuo creditorem debitori obligatum esse, vid. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de reb. cred. n. 7.* Quando causa plures habet effectus, uno vel altero effectu negato non negatur causa. vid. *Hartung. metaph. jurid. cap. XI. Reg. 1. in fin.*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0319
DFG

fin. princ. Deinde potentia effectus arguit potentiam causæ, quia quidquid habet effectus, habet a sua causa. Sic solus imperator suo nomine promulgat leges universales, & imperat omnibus; ergo, inferunt quidam, solus habet majestatem.

§. 311.

Nunc de causa finali aliquid tradendum est. Est autem in negotiis civilibus frequentissima, ad negotiorum cognitionem admodum necessaria & utilis, nam *Lauterb. colleg. theor. pract.* alicubi ita scribit: *finis in negotiis civilibus est quasi anima, & distingvit, ac proinde rationem essendi ingreditur, ac locum formæ supplere dicitur, in iis scilicet, quorum essentialis ratio consistit in operatione.* Hinc studioso juris maxime expedit inquirere in legum, statutorum, contractuum & aliorum negotiorum civilium rationem finalem, nam omnis actus ex causa finali, qua ad gerendum negotium quis fuit commotus interpretationem recipit *Carpz. part. 2. const. 46. def. 12.* Hinc in legibus interpretandis & in facto applicandis hæc ratio in primis attendenda & observanda *L. 17. π. de LL.* vid. *L. 114. §. 14. π. de legat. 1.*

gat. 1. cui consonat, quod scribit *Carpz. decis. 141.* in spiritu rationis vivit lex, quo extincto censetur mortua, & destituitur effectu.

§. 312.

Quia ergo, quatenus spiritus & anima corpus informat, eatenus vivit, ita etiam quatenus ratio legis finalis se extendit, eatenus etiam legis dispositio se extendit. Unde quando ratio legis finalis est generalior verbis, dispositio legis extenditur ad casus sub verbis legis non comprehensos, & casus, quos jungit ratio legis finalis, quo ad dispositionem juris separandi non sunt. Sic maritus non potest alienare fundum dotalem. *princ. Inst. quib. alienar. lic. vel non.* ratio ibi ponitur: ne sexus muliebris fragilitas perducatur in perniciem rerum suarum, *d. loc.* & ne mulieres reddantur indotatæ contra publicam utilitatem *L. 1. π. solut. matr. quemadm. dos rep. L. 2. π. de jur. dot.* quæ ratio quia etiam obtinet in sponso, idcirco nec iste alienare potest. *L. 4. π. de fund. dot.* Econtra, quando ratio legis est angustior verbis, Lex est coarctanda & restringenda. Sic fœmina non potest pro ullo intercedere, ne incauta periculum rei familia-

miliaris incurrat *L. 1. π. ad Sct. vellej.* quæ ratio ceſſat in caſu, quo decipiendi animo intercedit *L. 2. §. 3. eod.* Item quando precium pro interceſſione accepit. Item quando poſt biennium iterato intercedit.

§. 313.

Sed unde cognoſcimus cauſam finalem diſpoſitionis? Reſp. ex verbis, vel ex procemio, ſive præfatione, ubi poni ſolet *Lanfr. de Orian. prax. judic. in cap. quoniam initio n. 2.* Quandoque etiam ex conjecturis colligitur.

§. 314.

Eſt autem cauſa finalis, cujus gratia aliquid eſt, vel fit, & confertur in futurum, atque ſignificat, quid diſponens per ſuam diſpoſitionem obtinere velit, idcirco eſt aptum medium cognoſcendi voluntatem diſponentis. Efferri autem ſolet per particulas: *ut, ad, ne.* vid. *tamen L. 114. §. 14. de leg. 1.* Cauſa impulſiva eſt ratio vel occaſio, qua quis ad diſponendum provocatur, germanice *iſt es ein Anlaß zur Sach.* Exemplum eſt in *L. 1. §. 5. verſ. origo &c. π. de poſtul.* ratio autem finalis continetur in verbis antece-

denti-

dentibus ejusdem legis. De cetero causa impulsiva est species causæ efficientis minus principalis, & in dubio conjecturam aliquam voluntatis inde capi posse non dubito.

§. 315.

Nunc aliquæ regulæ de causa finali sunt proponendæ & elucidandæ, 1) cessante fine cessat actio. Sic quando testator alicui rem legat, & prohibet, ne alienetur, nec addat quorum causa prohibeat, & ita non exprimat causam finalem, prohibitio non valet; *alleg. L. 114. §. 14. de leg. 1.* Sic qui in judicio jam est præsens, non est citandus; quia finis citationis est comparitio. vid. *L. fin. π. de testam. tut.* ibi est finis dationis, ne excusatis tutoribus filii sint sine tutore, hic finis cessat non excusatis tutoribus. vid. *L. 28. π. de inoffic. testam.* Sic etiam obtento jam fine cessat omnis actio, & omnia media. Sic quod jam meum est, amplius meum fieri non potest, hinc frustra mea res mihi legatur; frustra meam rem emo, conduco &c. 2) Dispositum ad unum finem non debet contrarium operari. Hinc quod in favorem alicujus est introductum, non debet in ejus

ejus odium retorqueri *L. 25. π. de LL.* Sic si venditor in traditione rei suæ dominium sibi reservaverit, donec omne precium sit solutum, periculum est penes emptorem *§. 3. Inst. de empt. vend.* quia venditor dominium reservavit in suum favorem. Ita quoque si pupillus solvat creditori absque tutoris autoritate, & res apud creditorem pereat, tum creditori perit; quia dominium rei solutæ pupillo tantum reservatum est in ejus utilitatem. Sic quoque Prætor liberis concessit abstinendi potestatem ab hereditate paterna, ne oneribus subjiciantur, & sic liberorum jus augere voluit, unde non debet operari diminutionem juris, & tollere jus suitatis, quod est commodum. *Zæs. de A. vel A. H. n. 28.* vid. *Carpzov. part. 2. const. 38. def. 8.* Huic 3) proxima est regula: inducta in unum finem non debent alium operari. Ratio; quia limitata causa limitatum producit effectum. Hinc quando dominus & agnati consentiunt in oppignorationem feudi, illi non recipiunt debitum solvendum, sed eo fine consentiunt, ut consensu suo stabiliant hypothecam, ut respectu sui quoque subsistat. Et ita conventi habent exceptio-

exceptionem excuſſionis, ſicut alii hypothecarum poſſeſſores. *Struv. Syntag. jur. feud. cap. 14. aph. 24. n. 1.* 4) Actiones finibus diſtinguuntur. Sic ſi quis alienam rem auferat animo, vel eo fine, ut eam lucretur, eſt furtum, ſi alio fine, e. g. vexandi cauſa, furtum non eſt. Item ſi duo communicent res lucri cauſa, eſt ſocietas, ſi alio fine, non eſt ſocietas, vid. §. 311. Unde regula obtinet non tantum in negotiis illicitis, ſed etiam licitis, utpote contractibus. 5) Cui conceditur finis, ei conceduntur media. Et qui conſentit in finem, conſentit in media. Hinc ei, cui conceditur defenſio pro avertenda inquiſitione, concedi debent indicia, & ſummaria atteſtata. *Stryk. introduct. ad praxin forenſem. de inform. Judic. ſect. 3. membr. 7. §. 4.* Deinde 6) ex fine cognoſcuntur media, vel, ut alias dicitur: finis dat modum & menſuram mediis. *L. 5. π. de adminiſtr. & peric. tut.* vid. *L. 32. π. de excuſ. tut.* Denique 7) quando finis eſt inanis, etiam media ſunt inania *L. 39. π. de donat. inter virum & uxor.* ubi maritus donationis cauſa delegat debitorem ſuum uxori ſuæ. Hæc delegatio eſt nulla; quia donatio eſt nulla.

MEMBRVM IV.

DE ARGVMENTO A TOTO AD PARTEM, ET A PARTE AD TOTVM.

§. 316.

REGVLA 1) Quod juris est in toto homogeneo materialiter sumpto, sive in toto, quod est totum, est etiam juris in parte *L. 76. π. de rei vind.* ubi, quæ de tota re vindicanda dicuntur, etiam de parte intelligenda sunt. Hinc officio judicis continetur, pro modo partis ea quoque restitui jubere, quæ simul cum ipsa parte restitui debent. *d. l.* Sic quoque, qui 10. per errorem sine causa promisit, obligationem ad 10. condicet. Qui vero decem promisit, & tantum 5. debet, obligationem ad 5. condicet. *L. 3. π. de condic. sine caus.* Item totus fundus est venditus; vel totus fundus est judicatus meus, ergo etiam omnes partes. Tota emphytevsis per insignem deteriorationem amittitur; ergo etiam pars. vid. *L. 7. §. 6. π. de pac.* 2) Quæ de toto formaliter sumpto, sive de toto, ut toto dicuntur, non dicuntur de omnibus partibus: e. g. totum habet omnes partes in-

esse

esse debitas, ergo etiam singulæ partes habent omnes partes inesse debitas; non sequitur. Sæpe res tota ut tota, pluris æstimatur, quam singulæ partes propter majorem totius utilitatem, e. g. tota res æstimatur 400. aureis, propterea unus quadrans non valet 100. aureis, quæ est interpretatio *L. 52. §. fin. ff. fam. herciſ.*

§. 317.

Unde Nota, quod argumentum a toto ad partem non valeat, quando non est eadem ratio totius & partis, e. g. si plures mihi vendiderint rem unam sub pacto retrovenditionis, uno redimere volente non teneor, cessante argumento a toto ad partem; quia partis detractio continet detrimentum emptoris, & sic non est eadem ratio totius & partis; nam redemtione partis emptor detruderetur in communionem.

§. 318.

In toto heterogeneo quoque valet argumentum a toto ad partem: e. g. tota domus est vendita ergo & area. Item lego Titio domum, quo casu etiam area est legata *arg. L. 22. in fin. de leg. 1.* ubi domo legata & postea casu combusta vin-

dicari potest area. Ita sequitur: tota domus est pignori data; ergo etiam area, & hæc vindicari potest, sicut omnia, quæ supersunt. *L. 16. §. 2. π. de pignor.* Sic post litem contestatam actor toti liti renunciare potest, si adversarii non interest; ergo etiam parti litis poterit renunciare & ex libello aliquid expungere. Totum testamentum tollitur per aliud posterius; ergo etiam clausula derogatoria ei adjecta. vid. *Zœs. ad tit. π. de injusto rup. & irr. n. 30.* Totum prædium (vel major pars bonorum) est feudale; ergo reliqua talia præsumuntur.

§. 319.

Limitatur tamen etiam hæc regula: 1) Si prædicatum non competat toti, ut totum est. vid. §. 316. n. 2. Limitatur 2) si totius & partis non sit diversa ratio. Si enim est diversa ratio non procedit argumentum. Ita non sequitur: tota domus est mea; ergo omnes partes; si enim ex aliena materia ædificavi in meo solo, tota domus est mea, non tamen singulæ materiæ partes. Sic domo usucapta non censentur singulæ partes usucaptæ; quia totus domus ut tota possidetur, non secundum

dum singulas partes *L. 23. pr. π. de usurp. & usucap.* Sic non sequitur: totius domus ususfructus est legatus; ergo etiam areæ.

§. 320.

Supra scripta Regula, scilicet: quod juris est in toto, est etiam in parte, notabiliter fallit in individuis, conjunctis & inseparabilibus. Sic toto debito soluto pignus est restituendum. Inde non sequitur ergo parte debiti soluta pars pignoris est restituenda, quia pignoris obligatio est individua *L. 1. & 2. Cod. si unus ex pluribus hered. cred.* Sic quoque non sequitur: tota hereditas adiri & repudiari potest; ergo etiam pars potest adiri & repudiari; quia hereditas est individua.

§. 321.

Deinde posito toto ponuntur partes: 1) Toto essentiali: e. g. est emptio venditio; ergo est conventio de merce. 2) Toto integrali: e. g. totus grex est legatus; ergo singulæ oves sunt legatæ; ergo perempto grege usque ad unam ovem, superstes adhuc debetur *L. 22. π. de leg. 1.* Item magistratus totam causam delegare potest; ergo quamvis partem, ut citationem, examen testium &c. 3) Numerali:

e. g. aliquis inter positiones suas ponit sibi deberi 20. cum tantum 10. debeantur, hoc casu non potest negari tota positio *Gail. lib. 1. obs. 82. n. 16. & 17.* Nam in 20. continentur 10. Fallentias, vid. apud *Duaren. ad L. 1. §. si stipulanti π. de verb. obl.* vid. *Zœs. ad tit. π. de arbitr. n. 26.* Item hic testis asserit se vidisse 8. boves meos abactos a Titio; ergo confirmat meum articulum, qui sex boves abactos dicit. Et sic, qui consentit in 8. consentit etiam in 6. Item in tota hereditate est institutus; ergo & in uncia; semisse; duabus tertiis &c. Et in semisse est quadrans *L. 9. §. 3. π. de hered. instit. L. 15. π. de leg. 1.* Hinc dependet resolutio hujus casus: pro vidua defuncti est pronunciatum, quod succedat in tota hereditate exclusis collateralibus mariti. Deinde (non interrupte) pronunciatur, quod succedat in duabus tertiis. Demum tertio, non interveniente contrario judicio, pronunciatur, quod succedat in tota. Quæritur an introducta sit consuetudo, quod defuncti vidua succedat marito? Resp. est consuetudo quo ad duas tertias ex adducta regula. *Illustr. Berg. œcon. jur. lib. 1. tit. 1. th. 19. not. 3.*

§. 322.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0330
DFG

§. 322.

Negato toto non negantur partes, scilicet materialiter, & res, quæ sunt partes: e. g. non est domus; ergo nec adsunt cæmenta; non sequitur. Negato tamen toto negantur partes formaliter sumptæ, & in respectu compositionis.

§. 323.

Deinde partis & totius idem est judicium, sive, quod valet in parte, valet quoque in toto, quando eadem & non diversa est ratio: e. g. potest partem rei oppignorare, ergo etiam totam. Non tamen sequitur: potest partem quantam regalis feudi in subfeudum dare; ergo etiam totum; quia totum habet adjuncta regalia, quæ non nisi ab imperatore dari possunt. Et hæc ratio quoque facit, ut nec pars quota talis feudi possit subinfeudari; quia etiam ea pars habet adjuncta regalia, sicut hereditatis pars quota habet annexa jura, quod secus est in parte quanta. 2) Quod de partibus omnibus dicitur, de toto quoque dicitur: e. g. omnes & singulæ rei partes sunt meæ; ergo totum est meum; 3) posita parte absoluta & in rerum natura non ponitur

totum: e. g. non sequitur: dotis datio perficitur re; ergo est contractus realis. Nam ad contractum realem non sufficit fieri rei interventu, nisi datio fiat animo obligandi alterum; dos autem non datur animo obligandi, sed ut apud maritum semper maneat, & sustineat onera matrimonii. vid. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de jur. dot. §. 21* Posita tamen parte totius individui ponitur totum: e. g. filiusfamilias factus paterfamilias solvendo partem mutui contra Sctum Maced. accepti approbat totum; quia obligatio est individua. *Coccej. jur. controv. p. 1. lib. 14. tit. 6. q. 12. in object.* 4) qui habet partem, non statim potest dici habere totum. Sic qui habet jus retractus in parte aliqua, non potest dici, quod propterea habeat in toto fundo. Item qui habet jus recipiendi testes, non habet propterea jus totius causæ dijudicandæ, 5) negata parte essentiali negatur totum: e. g. non adest heres; ergo non est testamentum. Et negata parte integrali; vel potestativa, non est totum integrum: e. g. non habet potestatem legum ferendarum; ergo non habet integram majestatem. 6) In juridicis negotiis

gotiis pars abundans non vitiat totum, & non nocet.

MEMBRVM V.

DE ARGVMENTO A SVBIECTO AD ADIVNCTVM, ET AB ADIVNCTO AD SVBIECTVM.

§. 324.

UBI nota, quod ſubjectum hic accipiatur latiſſime pro omni eo, quod aliud in ſe, vel ad ſe recipit, ſive illud aliud ſit ſubſtantia, ſive accidens. Nil etiam refert, an ſubjectum recipiens ſit ſubſtantia, an accidens. vid. §. 44. ſeq. & §. 54. Nunc ſequuntur regulæ.

§. 325.

Regula 1) poſito ſubjecto ponitur ejus adjunctum eſſentiale & neceſſarium: e. g. eſt magiſtratus; ergo habet jurisdictionem. Item apud quem eſt territorium, apud eum etiam eſt jurisdictio; quia jurisdictio inhæret territorio paſſive, magiſtratui active.

§. 326.

Accesſorium ſequitur naturam ſui principalis. Sic juramentum recipit in-

terpretationem ex natura actus, cui adjicitur: e. g. in *L. fin. Cod. de non num. pecun.* ubi is, qui chirographo confesſus eſt, ſe pecuniam accepiſſe, & juravit ſe reſtituturum, habet exceptionem non numeratæ pecuniæ; quia contractus, cui adjicitur juramentum, habet tacitam conditionem: ut pecunia numeretur (cui implicita eſt conditio proprie dicta) quam conditionem quoque aſsumit juramentum adjectum. Sic quoque clauſula adjecta teſtamento, de non mutando eo, & juramentum adjectum, non facit illud irrevocabile & immutabile, cum primordialis natura teſtamenti ſit, quod ſit revocabile, vid. *Zœſ. ad tit. π. de injuſt. rup. & irr. fac. teſtam. n. 27. ſeqq.* vid. *L. 32. pr. §. 1. & 5. π. de aur. & arg. leg.* Ubi tamen nota, quod accesſorium non ſequatur naturam ſui principalis, quando non eſt eadem ratio in accesſorio, quæ eſt in principali: e. g. promiſſio dotis per metum facta eſt nulla. *L. 21. §. 3. π. quod met. cauſ.* quæritur de ratione hujus juris. Multis placet hæc: quia dos eſt accesſoria matrimonii, accesſorium ſequitur naturam ſui principalis. Sed hæc ratio non eſt; quia matrimonii, & promiſſionis

nis dotis diversa est ratio; quia ibi ex consensu traditur dominium in corpus, ubi versatur irreparabile præjudicium, quæ ratio cessat in promissione dotis, alia ergo quærenda est ratio specialitatis, quæ videri poterit apud *Zœs. ad tit. π. quod met. caus. n. 11.* vid. *Gail. lib. 1. de pac. pub. cap. 5. n. 14. seqq.* vid. *Joh. Brunnem. ad cap. 42. de reg. jur. in 6to.* Aliud exemplum, quo accessorium non sequitur naturam principalis vid. apud *Brunnem. ad L. 5. Cod. de præd. & aliis reb. minor.*

§. 327.

Regula 2) cujus est subjectum, ejus quoque est adjunctum. vid. *§. 19. & sqq. Inst. de R. D. & A. E. D.* Sic cui castrum est concessum, ei censetur concessa jurisdictio cohærens castro. Et qui apprehendit castrum censetur omnia ejus jura, & alia inde dependentia apprehendisse. vid. *Lauterb. comp. ad π. ad tit. de act. emp. vend. vers. & accessionum. pag. 361.* Cui actio est cessa, ei etiam jus & privilegium actioni (non personæ) cohærens cessum videtur. vid. *alleg. comp. ad tit. de hered. ad act. vend.* vers. *utitur jure & privilegio cedentis pag. 333.*

§. 328.

§. 328.

Ubi nota, quod adjunctum sit id, quod alteri per se, vel principaliter stanti adjicitur, sive adjungitur. Unde apparet, quod adjunctum non constituat essentiam subjecti, sed subjecto constituto demum accedat, atque ideo sit posterius subjecto. Sic confirmatio supponit jus confirmandum, cui accedit, nihil adimit, nihil mutat, nihil novi dat. Sic Imperator per electionem constituitur, confirmatio est accidens. Contractus renovatur secundum formam prioris contractus, si non aliud conventum. Idem est de renovatione contractus: v. g. feudalis; protestatio nullum novum jus tribuit, sed conservat, cum sit adjunctum. Varietas pactorum non inducit varietatem contractuum.

§. 329.

Regula 3) negato, vel destructo subjecto, negatur, vel destruitur adjunctum: e. g. vasallus oppignorat feudum cum consensu agnatorum, sed sine consensu domini. Hæc oppignoratio non valet; quia consensus agnatorum accedit non enti. Feudo ergo ad agnatos devoluto hi

hi non tenentur ad solutionem debiti; quia se ad eam non obligarunt, & hypotheca non valet. *Struv. Syntagm. jur. feud. cap. 14. aph. 22.* Item finito officio ejus, cui quis adjungitur, simul adjuncti officium finitur *L. 1. Cod. quand. tut. vel cur. esse des.* Huc pertinent personalia privilegia; juramenta apposita actibus invalidis ob defectum consensus. Sic quoque principali re legata destructa destruitur accessorium. vid. *Gail. lib. 2. obs. 61. per tot.* vid. quoque *L. 19. princ. π. de ann. legat.* Regula tamen hoc §pho posita fallit, quando adjunctum sive accessorium propriam habet causam. Inter alia exempla pono juxta *L. 16. π. de rei vindic.* hoc: vindico a te rem b. fide possessam, sed lite contestata res perit casu. Ubi absolveris a rei restitutione, & condemnaris ad accessoria, quia per litis contestationem est quasi contractum super principali & accessoriis.

§. 330.

Quando mixtura contingit, inspicere debemus, quid principaliter agatur inter partes contrahentes. Et sic ab eo, quod principaliter geritur, accessorium judicatur, licet diversam habeat naturam, si

potest

potest per se stare. vid. *Zœs. ad tit. π. de permutat. n. 5. & 6. Rhet. Inst. Jur. publ. lib. 2. tit. 1. §. 22.* vid. *compend. Lauterb. ad tit. π. de empt. vend.* vers. 1) *pecunia &c.* verb. *si partes hoc egerint*, & nota, quod in sequentibus casibus voluntas sit tacita, & colligatur a potiori, vel frequentiore usu.

§. 331.

Ab adjuncto ad subjectum argumentamur per illam regulam: talia sunt subjecta, qualia relinquuntur a suis prædicatis, & talia sunt prædicata, qualia relinquuntur a suis subjectis. Hic adde hoc exemplum: Qui ex causa stricti juris certo loco dare promisit, arbitraria actione quocunque loco conveniri potest. *L. 16. §. 1. π. de constitut. pec. L. 43. π. de judic.* intellige loco idoneo, propter subjectum, quod non ubique est subditum.

§. 332.

A subjecta materia argumentamur, adeo, ut propterea sæpe legum & aliorum negotiorum verba in improprio sensu accipiantur ad conservandam voluntatem disponentis, vid. §. 226. not. g) & not. k) in fin. Sic quando pater substi-

tuit

tuit filio impuberi usque ad annum 18. Post annum 14. erit fideicommissum; quia testator videtur voluisse, ut substitutio valeret eo modo, quo potest, nec rigor verborum voluntati est præferendus. vid. *Brunnem. ad L. 7. in fin. π. de vulg. & pupill. substit.* Hinc quoque substitutio in codicillis facta vim fideicommissi habet *L. 76. π. ad Sctum trebell.* Ubi verbum substitutionis improprie accipiendum, ne voluntas pereat, quæ videtur directa in fideicommissum. vid. *L. 71. π. de furt.* Ubi actio furti accipitur pro condictione furtiva, ut colligitur ex subjecta materia.

§. 333.

Posito proprio ponitur subjectum. vid. supra §. 33.

§. 334.

Quod uni speciale est proprium, aliis per se competere nequit. Sic leges ceremoniales Judaicæ ad populum judaicum fuerunt restrictæ; quia debuerunt præfigurare Christum venturum, ergo christianos non obligant, imo eis sunt mortiferæ, si utantur; quia re ipsa significant se exspectare Christum venturum, & se non credere eum jam venisse. Jus judæo-

judæorum forense particulare est, quod ad rempubl. judaicam fuit restrictum, consequenter ista republica extincta etiam jus est extinctum.

§. 335.

De quo negatur proprium alicujus rei (scilicet proprium quarti modi) de eo negatur etiam subjectum: e. g. contractus defuncti obligat heredem ob dolum defuncti in solidum *L. 12. π. de obl. & act.* Sed precarium non obligat heredem ob dolum defuncti in solidum. *L. 8. §. 8. π. de precar.* ergo precarium non est contractus. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de precar. §. 4. arg. 2.*

§. 336.

Quæ communiter adsunt subjecto jam etiam in dubio adesse præsumuntur: e. g. partus naturali modo, & debito tempore editus communiter est vivus; ergo etiam in hoc casu in dubio præsumitur, vid. *Lauterb. ad tit. π. de his, qui sui, vel alien. jur. sunt.* Sic quoque filii familias ipso jure, post mortem patris, sunt domini rerum paternarum; ergo hoc etiam in hoc casu præsumitur, donec probetur contrarium; cum res præsuman-

ſumantur manſiſſe in eodem ſtatu, vid. *L. 10. & 16. Cod. de probat.* & ibi *Brunnem.* Sic mercator, cui ob pignorationem injuſtam &c. debet reſtitui lucrum ceſſans, ſatis probat, ſi probet, ſe tantum ſolitum lucrari ex re ſua. *Gail. tract. de pignorat. obſ. 17. n. 6.* vid. eund. ibid. *obſ. 18. n. 8. ſeqq.* Sic quoque quando juvenes diurno nocturnoque tempore ſolent commeare ad puellam, præſumitur meretrix; quia iſta frequenter ſunt conjuncta *Joh. Brunnem. ad L. 10. Cod. de prob.* Solutus cum ſoluta, ſolus cum ſola, præſertim juvencula; diu noctuque in una clauſura commorantur & cohabitant: ergo &c. An putas eos fomite peccati carere? Sic ergo in iis, quæ maxime conjuncta ſunt, ab uno præſumitur ad aliud, aliud eſt in ſeparatis. Sic non ſequitur: eſt adulter; ergo eſt fur. Sed hoc ſequitur eſt guloſus; ergo & libidinoſus *cap. 14. X. de vit. & honeſt. cleric.* Eſt avarus; ergo & fur.

MEMBRVM VI.

DE ARGVMENTO AB ANTECEDENTIBVS, CONSEQVENTIBVS, ET CIRCVMSTANTIIS, ATQVE SIGNIS.

§. 337.

PER antecedens hic non intelligimus id, quod aliud per consequentiam infert, & per consequens non intelligimus id, quod vi consequentiæ ex alio sequitur, sed quæ ratione ordinis se mutuo consequuntur. Circumstantiæ autem dicuntur, quæ cum re existunt, & quasi circa rem stant. Signa sunt, quæ rem vel præsentem, vel futuram significant; hæc autem vel necessaria sunt, vel contingentia.

§. 338.

Posito antecedente ponitur consequens necessarium: e. g. qui vult delictum, vult quoque pœnam, licet hanc impositam ignoret. *Zæs. ad tit. π. de jur. & fact. ign.* Sic quoque minor (qui fuit) restituitur adversus sententiam, quando sententia lata contra majorem jam factum tempore latæ sententiæ ex necessaria consequen-

sequentia ad processum in minore ætate gestum v. g. Si in minore ætate probationes necessariæ sunt omissæ, vel dolo adversarii sententia dilata in tempus majoris ætatis. *Brunnem. ad L. 1. Cod. Si adverſ. rem. judic.* Sic etiam quando causæ cognitio requiritur in aliquo actu, decretum quoque sequi debet. Quando causæ cognitio alicui est commissa, etiam sententiæ dictio commissa censetur. vid. *Joh. Brunnem. ad L. 74. π. de judic.*

§. 339.

Concesso & mandato alicui antecedente concessum quoque intelligitur consequens: e. g. jurisdictio est concessa, ergo etiam imperium mixtum. Sic illi, cui servitus prædialis concessa est, censentur omnia concessa; sine quibus ea uti non potest; censetur ergo etiam concessa facultas reficiendi, & reficiendi causa ad loca vicina accedendi *L. 11. π. comm. præd.* Sic quoque quando alicui do mandatum ad acceptandum juramentum (scilicet delatum) potest etiam principalem offerre ad jurandum, quia ista firmo nexu cohærent ita, ut sine damno mandantis separari nequeant; vid. *Wernh. ſelect. obſ. part. 1.*

obs. 127. Unde sponte intelligis, quod regula initio hujus §phi posita intelligenda sit, quando alterum sine altero expediri nequit, alias enim secus est. Intelligitur quoque regula, si quis antecedentis & consequentis sit capax, alias secus. Denique intelligitur, si utriusque eadem sit ratio; nam qui habet mandatum exigendi debitum, non potest solutionem accipere, propter novas difficultates recuperandi a mandatario pecuniam. Habens tamen mandatum ad vendendam rem alterius, habet etiam ad recipiendam pecuniam. vid. *Coccej. jur. controv. ad tit. mandat. q. 11.* Ubi adhuc nota, quod connexa sint, quæ ex consequentia factorum separationem non recipiunt. Econtra separata sint, quæ ex consequentia factorum separationem recipiunt.

§. 340.

Negato antecedente necessario, negatur consequens. Sic non antecedentibus indiciis tortura & confecuta confessio est nulla. Citatione ad audiendam sententiam omissa, sententia est nulla. Filia non succedit in feudo; ergo nec ejus filius. Sic quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit.

§. 341.

§. 341.

Posito consequente præcessit antecedens necessarium: e. g. ubi requiritur decretum, ibi requiritur causæ cognitio tanquam necessarium antecedens. Item, peto in Saxonia, ut reus emanens in primo termino condemnetur ad executionem, hoc casu potest Judex prius citare ad docenda legitima impedimenta; quia ad executionem condemnare non potest, nisi prius citaverit ad legitima impedimenta. Item mando Titio, ut rem vindicet, mandasse etiam videor, ut agat ad exhibendum. Item peto rei vindicatione, ut possessor rem restituat, censeor petivisse, ut judex prius declaret, me esse dominum. Item, repudiat quis legitimam hereditatem; ergo & testamentariam; quia legitima hereditas non est, nisi remota testamentaria, quæ est prior. Ob eandem rationem qui adit legitimam hereditatem, repudiat testamentariam, vid. *L. 77. π. de A. vel O. H. & ibi Brunnem.* Huc pertinet regula: *qui vult consequens, vult etiam antecedens.* Sed intellige, in his, quæ a dispositione illius dependent, & sic, quæ a mera voluntate disponentis dependent *Barbos. locupl. l. 3. cap. 55. ax. 3.*

Secus in aliis, *Cravetta vol. 1. conſ. 134. num. 45.*

§. 342.

Negato ordine, qui eſt de forma actus, negatur ipſe actus: e. g. non fuit appellatio juſto tempore interpoſita, ergo proſecutio appellationis eſt nulla. Ab ordine materiarum in ſcripto aliquo, vel ab ordine rubricarum varie ducuntur argumenta: e. g. teſtamentarius tutor præcedit legitimos, quia in Inſtit. priore loco tractatur. Teſtamentaria ſucceſſio præcedit legitimam; quia in Inſtit. & π. prius tractatur. Sic a rubro ad nigrum ducitur argumentum: e. g. *L. olei 21. Cod. loc.* agitur de locatione proprie dicta, quia ponitur ſub tit. locati. A ſubſequente clauſula generali probatur generalis intellectus præcedentium: e. g. in *Nov. 18. cap. 1. in fin.* eſt iſta clauſula: *hoc obſervando in omnibus perſonis, in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioſo lege decreta eſt.* Unde colligitur, quod etiam in fratribus aucta ſit legitima. Nota, ab ordine ſcripturæ regulariter colligitur ordo rerum geſtarum, & ordo voluntatis. Ita quando plures ſunt vocati ad fideicommiſſum, primo nominati præcedunt.

cedunt. Ordo verborum significat ordinem dilectionis; & priores in voce, sunt priores in intentione. *Brunnem. ad L. 32. π. de leg. 2.*

§. 343.

A circumstantiis varia desumuntur argumenta, quæ, quia juris studioso admodum sunt necessaria, pluribus exemplis declarabo. 1) Cui conveniunt omnes circumstantiæ, ipsa res convenit, vel convenire præsumitur: e. g. est receptus in matriculam imperii; contribuit ad onera imperii; habet omnimodam jurisdictionem & bona immediate imperio subjecta; ergo est status imperii. Licet essentia status in his non consistat, sed in voto & sessione comitiali. Item: fuit visus in loco occisionis, eo tempore armis instructus; madens sanguine; arma quadrant vulneri; ergo occidit. Ubi notandum & inspiciendum illud: quis; quid; ubi; quibus auxiliis; cur, quomodo; quando. 2) A negatione circumstantiarum facilius argumentamur. Sic a diversitate temporum, locorum, aliarumque circumstantiarum argumentamur negative, & oritur contradictio: e. g. unus dicit Titium occidisse Jenæ illo die,

alius testis dicit: Titium toto eo die fuisse Erfurti. Unus testis dicit Cajam adulterium commisisse in horto sub scino, alter testis dicit, unum idemque delictum in horto commisisse in alio diverso loco sub quercu, ubi sibi contradicunt. (Aliud esset, si quæstio esset de adulterio in genere) Ubi tamen attendendum, an contradictio sit tantum apparens, utpote *a*) in dato exemplo de adulterio, an scinus & quercus essent contiguæ, *b*) an idem locus, eadem persona habeat diversas appellationes, vel diversum respectum: e. g. unus dicit: Titius *hat ein Wild geschossen über Schwartza*, alter dicit: *er hätte es unter Dornfeld geschossen.* Sed quia idem locus jaculationis est superior respectu pagi *Schwartza*, & inferior respectu pagi *Dornfeld*, nulla est contradictio. *c*) Ratione diversæ computationis temporum potest esse apparens contradictio: e. g. unus testis dicit rapinam in campo isto esse factam eo die hora XII. meridiana, alter dicit hora nona ante meridiana esse factam, ubi nulla est contradictio, quia testes remoti ab horologio, nec habentes negotium adstrictum horarum spatio, in computatione temporis facile

facile errare & in facto convenire possunt, & hoc maxime obtinet, si quis dicat: hoc factum esse: *etwa um 3. Uhr:* deinde: *etwa um 2. Uhr.* vid. *Carpz. p. 1. const. 16. def. 42. d)* non vera, sed apparens contradictio oriri potest, si unus loquatur de opere cœpto, alter de consummato: e. g. unus dicit Cajum occidisse in hoc territorio, intelligens explosionem sclopeti, alter dicit de alio territorio contiguo, intelligens exanimationem occisi. 3) A tempore ad tempus argumentamur. e. g. ante fuit bonus; ergo etiam nunc est. Antea fuit malus; ergo etiam nunc est *L. 5. §. 6. π. de re militar.* intellige in eodem genere bonitatis vel malitiæ. Sic quando quis antiquiorem possessionem probavit, præsumitur, quod etiam nunc possideat *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. uti possid. §. 11.* Item nunc non est solvendo; ergo & ante non fuit, & sic a præsenti ad præteritum præsumitur. Et est hic ratio; quia omni die quis locupletari præsumitur, ideo, si nunc non est locuples, multo minus ante fuit. *Salicet. ad L. non est necesse π. de probat.* vid. *Carpz. p. 3. c. 20. d. 28.* 4) A tempore ad locum argumentamur affirmative, sicut res se

habet in tempore, ita etiam in loco, modo non sit ratio diversitatis: e. g. actus voluntariæ jurisdictionis fieri possunt die feriato; si non requirant causæ cognitionem, ergo etiam in loco sacro; quia loci sacri, & temporis sacri eadem videtur esse ratio. Item pater filiam in adulterio in sua vel generi domo deprehensam in continenti potest occidere *L. 20. 23. π. de adulter.* quod etiam fieri videtur, si fugientem filiam uno calore insequatur, & post aliquot horas deprehenderit in alio loco. *d. L. 23. §. fin.* 5) A loco ad tempus argumentamur: e. g. sine expressione loci citatio nulla est. *L. 5. cod. quomodo & quand. jud. sent. prof. deb. &c.* ergo etiam sine expressione temporis citatio nulla est. 6) A signis necessariis argumentamur ad rem ipsam. Sic ex clausuris & burgis probantur fines imperii *L. 2. §. 4. cod. de offic. præf. prætor. afric.* verb. *ex clausuris & burgis.* Item qui habet furcam erectam, habet criminalem jurisdictionem *L. 14. §. 1. in fin. de peric. & comm. rei vend.* Cujus principis civitas signum gerit, ejus esse præsumitur. Item quidam agri feudo annexi præstant onera rustica, *müssen Frohn-Dienste thun;* ergo non sunt feuda-

feudales. Item quando ſubditi epiſcopatuum, monaſteriorum domino territoriali præſtant homagium, contributiones, ſunt ſubditi. vid. *Theodoric. colleg. crim. pract. cap. 4. aph. 9. n. 28. & 29.* Huc ergo pertinet materia de præſumptionibus & indiciis. 7) A ſignis etiam neceſſariis negative firmiter non argumentamur: e. g. agri aliqui non præſtant domino operas ruſticas, inde non ſequitur; ergo ſunt liberi; quia per oblivionem poſſunt non petitæ eſſe.

MEMBRVM VII.

DE ARGVMENTO A COMPARATIS, ET DISPARATIS.

§. 344.

COMPARATA ſunt, duo ſubjecta, quæ conveniunt in uno prædicato, ſive tertio, ita, ut vel parem ſive æqualem alterum cum altero habeat rationem, vel majorem, vel minorem, aut ſunt duo prædicata, quæ in uno ſubjecto conveniunt propter parem, vel ſimilem rationem. Diſparata ſunt, quæ inter ſe opponuntur, quæ vel ſunt repugnantia, vel diſparata in ſpecie. vid. ſupra §. 22. Regula

gula 1) de paribus idem est judicium, scilicet ratione earum qualitatum & attributorum, respectu quorum paria vel similia dicuntur, & earum, quæ ex illis fluunt. Ubi notandum, quod, si duo, vel plura subjecta, vel casus in eadem ratione comparationis perfecte conveniant, conveniant etiam in dispositione juris: e. g. matri & aviæ competit tutela liberorum suorum propter pietatem & affectionem erga liberos; nunc autem hæc affectio in avia paterna & materna perfecte est æqualis & par; ergo utraque admittitur ad tutelam liberorum, sive nepotum suorum. *Carpz. decis. 121. n. 18. & 19.* unde est perpetuum dicti Carpz. effatum: *casus, quos nectit identitas vel æqualitas rationis, quo ad dispositionem juris separandi non sunt.* Et stante rationis identitate non dicitur fieri extensio, sed alius casus vere & proprie dicitur comprehendi sub dispositione paris *Decis. 71. n. 10. & 11.* etiam in exorbitantibus; correctoriis, pœnalibus & odiosis. *n. 10. ibid.* In eundem sensum *Petr. Theodoric.* alicubi sic scribit: *ubi eadem ratio, ibi non est extensio, sed proprius intellectus.* Nam quando in pluribus casibus omnino eadem est ratio,

ratio, ea ipsa omnes decidit, non per extensionem, sed tanquam genus quasi species in se comprehendit, & unius tantum casus fit mentio exemplificative, non restrictive. vid. *Henric. Zœs. ad tit. π. de legib. n. 65. circa fin. & 66. pr.* Casus exorbitans a jure communi, non quidem expressus, tacite tamen comprehensus videri potest apud alleg. *Carpz. decis. 72.* & est iste: Constitutione electorali saxonica dotatio filiæ vasalli mortui in feudo præfertur creditoribus fratris hypothecariis ex *Ordin. proc. judic. tit. 45. §. es trägt sich auch offt zu &c.* ex ratione ibid. alleg. ne scilicet filiæ debito suo feudali inique defraudentur. Sub qua ratione tanquam species quædam continetur quoque educatio filiæ. Unde apparet, quod in correctoriis & exorbitantibus ex identitate rationis argumentari liceat ad alium casum. Quo ad pœnalia & odiosa accipe hoc exemplum ex *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de fid. instrum. §. 5.* Si statuto indicta sit pœna producenti falsum instrumentum, ea quoque locum habet in producente falsum testem; malitiam enim & nequitiam statutum punire voluit, quæ ratio utrobique æqualiter militat.

tat. vid. *Berg. œcon. jur. lib. 4. tit. 24. th. 5. not. 1.* Item raptor virginis capite est puniendus ob violentam læsionem castitatis per intemperatam libidinem, quæ ratio sub se etiam continet casum, quo meretrix juvenem rapit *Brunnem. ad l. 12. π. de LL.*

§. 345.

De cetero, quando rationes sunt specie differentes, similes tamen, tunc fit extensio & progressio ab uno ad aliud, ob rationis similitudinem e. g. qui in principis ministerio se bene gesserunt, sunt laudandi, ergo etiam, qui bene versati sunt in doctrina juventutis arg. *L. unic. tit. 6. lib. 12. Cod.* Item Notarii principis per quinquennium absentes amittunt matriculam. *L. 2. tit. 7. Cod. dict. lib.* ergo etiam studiosi per quinquennii absentiam amittunt matriculam ducto arg. a palatina militia.

§. 346.

Nota 1) fortius esse argumentum, quando ipsa lex duo dicit esse paria vel similia: e. g. Respublica *in L. 4. Cod. ex quib. caus. major. &c.* comparatur minori. vid. *Hartung. ad enchirid. log. jurid. Brunnem.*

nem. lib. 3. membr. 2. cap. 2. §. 74. ad verb. Lex duo dicit.

§. 347.

Nota 2) quando doceri potest ratio diversitatis in eo, quod ad probandum simile adducitur, non valet argumentum. e. g. communiter DD. argumentantur a libertate ad causam piam. Nunc si dominus ex pluribus servis unum manumitti velit, nec constet, de quo senserit, nullus consequitur libertatem *L. 27. π. de reb. dub.* ob incertam domini voluntatem. Ergo etiam, quando uni ecclesiæ quid legatur, nec constat cui, videtur non valere, argumento ducto a libertate ad causam piam. Sed non procedit consequentia; quia subest ratio diversitatis. Nam in dicto casu unius servi manumissi, posset libertas contingere ei, cui testator noluit, & is manere in servitute, quem testator liberum voluit, & sic posset aliquid fieri contra voluntatem testatoris, at in legato ecclesiæ dato testator censetur voluisse legare pro anima sua, & ipsi Christo domino, quæ voluntas impletur, si cuicunque ecclesiæ obtigerit legatum, & sic nihil fit contra voluntatem testatoris. Item, quæritur, an pa-

ter

ter pro uno filio possit esse testis contra alium filium? videtur, quod sic, quia servus communis pro uno domino contra alterum dominum potest esse testis. Resp. negando; quia inter dominum & servum non est eadem conjunctio naturalis & charitas, quæ est inter parentes & liberos, quam violare nefas est. Non obstat remotam esse falsi suspicionem; quia in ea non fundatur prohibitio testimonii parentum contra liberos, sed in vinculo charitatis et conjunctionis naturalis, vid. *Zæs. ad tit. π. de testib. n. 10.* Item, minor 20. annis non potest esse testis in causa criminali, inde non sequitur, ergo nec potest esse accusator; quia non, ut in fide testis, ita in fide accusatoris salus rei vertitur. vid. etiam *Brunnem. enchirid. log. jurid. alleg. loc. §. præced.* Diversitas autem rationis ex variis desumitur, utpote quod unum comparatorum specialem habeat rationem, quæ non est in altero, ut patet in jamjam adductis casibus. Ita quoque in materia odiosa, & juris communis correctoria non procedit argumentum a simili. Exemplum vid. apud *Carpz. part. 3. const. 1. def. 6. & 7.* & sic nec in privilegiis. Item si unum similum habeat

habeat particulam exclusivam, aut ex arg. a simili sequeretur absurdum. Item quando contrarium in jure est decisum. Item, quando illud, quod in uno similium valet, novo jure est inventum contra juris communis tenorem, vel tanquam singulare, e. g. uxor vera ratione dotis repetendæ habet hypothecam in bonis mariti cum personali prælationis privilegio conjunctam (quod jure novo inventum contra tenorem juris veteris, & jure singulari) hoc non est extendendum ad uxorem putativam *Lauterb. comp. de privileg. creditorum pag. 586.* De cetero si nulla ratio similitudinis adducatur, est argumentum a separatis, ubi dicitur: separatorum separata est ratio.

§. 348.

Regula 2) contrariorum eadem est disciplina. Ita jurisprudentia agit de justo & injusto *§. 1. Instit. de justit. & jur.* De licitis & illicitis *L. 1. π. eod.* est etiam contrariorum eadem ratio, scil. quando contraria ut species ejusdem generis. v. g. qualitatis; potentiæ activæ vel passivæ; actionis &c. considerantur, vel ut habent in uno & altero eandem rationem, & sic

comparata sunt: e. g. vasallus non debet amicitiam jungere cum domini inimicis; ergo nec inimicitiam debet habere cum amicis domini; quia unum æque est pernicioſum domino ac alterum. Ita quoque post litem eventualiter conteſtatam, antequam purificetur, juramentum judiciale ab actore deferri potest; ergo delatum etiam potest revocari; quia utroque casu jus actoris est integrum. Item, pignus nuda conventione constituitur; ergo etiam nuda conventione tollitur. Status imperii potest infamiæ notam in delinquentes statuere; ergo & famæ restituere, & infamiam abolere; vid. *Hartung. §. 340. alleg. ad §. 75. verb. eadem ratio.* Si tamen ratio sit diversitatis, non procedit argumentum. Sic electores possunt capitulationem ponere, sed non tollere; quia est posita nomine imperii in ejus utilitatem, quam tollere non possunt *Carpz. in leg. reg. germ. cap. 1. Sect. 16. in fin.* Sic non sequitur: dignus potest ad officium publicum promoveri; ergo etiam removeri; 1) quia dignus promovetur reipub. nomine in ejus utilitatem, remotio fit contra utilitatem & voluntatem Reipub. 2) promotus habet jus quæsitum

situm, & 3) remotio fit cum injuria & nota quadam. Suus heres abstentionem revocare potest, inde tamen non sequitur, ergo agnitam repudiare potest; quia prior casus est favorabilis, posterior odiosus *Salic. ad L. 3. cod. de repud. vel abstinend. hered.* vid. *alleg. Hartung. d. loc.* ad verb. *repete.* Quam plurima exempla in hanc rem ex juribus deprompta habeo in promtu, sed abstinendum est, ne videar longior. vid. tamen adhuc *Samuel Coccej. jur. controv. part. I. tit. 14. q. 17.*

§. 349.

Regula 3) a correlatis etiam, quatenus ut comparata considerantur, argumentamur, quando eadem ratio est in utroque correlatorum: e. g. vasallus propter delictum in dominum privatur dominio utili. Ergo etiam dominus propter simile delictum in vasallum commissum privatur dominio directo; quia fides reciproca utroque casu violatur. Quando uxor ex pacto lucratur donationem propter nuptias, etiam maritus superstes lucratur dotem *Henr. Coccej. jur. publ. cap. 28. §. 5.* vid. *Hartung. ad alleg. loc. §. 76.* ad verb. *a correlatis.* & Nota, quod

hoc argumentum non tantum procedat a correlatis, ſed etiam a relatis tantum, e. g. mulier adultera amittit dotem, ergo etiam donationem propter nuptias. *Hahn. ad Weſenbec. paratit. de adulter. n. 19.* ad verb. *hanc autem præcipuam.* Item ſi conſtituam, quod non debetur, non valet; quia deficit terminus relationis. vid. *Zæſ. ad tit. π. de conſtitut. pecun. n. 10.*

§. 350.

Dictum §. præced. quando eadem eſt ratio in utroque correlatorum. Quando ergo eſt in altero diverſa ratio, non procedit argumentum: e. g. Eccleſia actrix excluditur 40. annorum præſcriptione, quando autem convenitur, excludit actorem ordinario tempore. Ratio diverſitatis eſt in favore eccleſiæ *Philipp. Math. ad L. 11. n. 46. π. de reg. jur.* vid. idem dic. *loc. ad L. 74. n. 26. ſeqq.* Item propter propriam indigentiam locator poteſt recedere a locatione, inde non ſequitur: ergo etiam conductor poteſt recedere ob ſuam indigentiam; quia in materia privilegiorum non procedit argumentum a natura correlativorum vid. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de loc. conduct. §. 54.*

vid.

vid. idem *ad tit. de resc. vendit. §. 23.* De cetero notandum, quod a correlativis etiam valeat argumentum in pœnalibus. Sic maritus occidens uxorem pœna culei, vel rotæ in casu deficientis fluminis plectitur; ergo etiam uxor necans maritum. Secus est in adulterio; quia hic lex aliud statuit propter fragilitatem sexus, ibi utrobique est eadem delicti atrocitas *Carpz. part. 4. const. 3. def. 6.*

§. 351.

Hactenus tractavimus de iis comparatis, quæ parem vel similem habent convenientiæ rationem, nunc aliquid delibandum est ex iis, quæ majorem vel minorem habent convenientiæ rationem, in quibus talia sunt argumenta; 1) quando id, quod minorem habet veritatis, probabilitatis & credibilitatis rationem, verum est, multo magis id, quod majorem habet rationem veritatis, probabilitatis & credibilitatis, erit verum; quod dicitur argumentum a minore ad majus affirmative; e. g. piscatio pertinet ad regalia *2. feud. 56. in fin.* ergo multo magis venatio, quæ plerumque majora habet commoda, & est nobilior, quam piscatio.

Item obligatio in materia favorabili potest induci per triennii lapsum *L. 1. Cod. de fideicom.* ergo multo magis liberatio in materia odiosa (quæ est interpretatio *L. 5. Cod. de usur.*) cum liberatio fit multo favorabilior, quam obligatio. *L. 47. π. de obl. & act.* Item maritus vilem adulterum occidere potest juxta *L. 24. pr. π. de adult.* idem potest pater adulteræ *L. 20. ibid.* ergo multo magis potest contumelia afficere *L. 22. §. 3. ibid.* Item pacto hodie potest induci inæqualitas inter dotem & donationem propter nuptias; ergo multo magis statuto, cum statutum utpote vim legis habens sit potentius, quam pactum privatum *Andr. Gail. lib. 2. obs. 78. n. 3. seq.* Sic ergo quod potest pacto induci, multo magis potest statuto induci, nisi doceatur diversitatis ratio, quæ est in sequente casu: pacto appellatio tolli potest, sed non statuto, ratio diversitatis est, quia statutum disponeret contra jus superioris, sed non pactum *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de appell. §. 8. in fin.*

§. 352.

Regula 2) a magis probabili ad minus probabile valet argumentum negative,

ve, id est, si verum non est, quod majorem habet probabilitatis & credibilitatis rationem, multo minus verum erit, quod minorem habet probabilitatis rationem: e. g. conjux conjugi per testamentum portionem statutariam per constitutionem Elect. Sax. adimere non potest; ergo multo minus per donationem inter vivos; *Carpz. part. 3. const. 7. def. 5.* nam testamentum multo est favorabilius quam actus inter vivos *L. 1. cod. de SS. eccles. §. un. Inst. de leg. fus. can. toll.* Item quod statuto non potest introduci, nec pacto potest. His observatis evitamus confusionem, quam *Brunnem. in enchirid. log. jurid.* hic §. 79. & seqq. facit.

§. 353.

De oppositis regulæ sunt addendæ; 1) posito uno oppositorum negatur alterum. Qui canon accipitur de *disparatis; contrariis; contradictoriis, relativis & privative oppositis.* De *disparatis*: hæc est emptio venditio, ergo non est locatio conductio. De *contrariis*: libere contraxit; ergo non metu. Item mihi per privilegium concessum est aliquid facere; ergo ceteris omnibus prohibitum est

id impedire. De *contradictoriis:* est testatus; ergo non intestatus. De *relativis:* est reus; ergo eodem respectu non est actor. De *privative oppositis:* testamentum inofficiosum est rescisum; ergo substitit. Huc pertinet canon: 3) oppositorum opposita sunt attributa, sive prædicata: e. g. banniti offensio est licita; ergo ejus defensio illicita; *Petr. Theodoric. colleg. crim. cap. XI. aph. 4. n. 6.* Injusta offensio est illicita; ergo justa defensio licita; actiones ex delictis pœnales non dantur adversus heredes; ergo actiones ex delictis non pœnales dantur adversus heredes. 4) *Regula:* negato uno oppositorum non ponitur alterum: e. g. non sequitur: non est actor; ergo est reus. Inter terminos tamen contradictorios negato uno oppositorum ponitur alterum, e. g. non ignorans contraxit; ergo sciens. In reliquis quoque oppositionum speciebus procedit, quando constat in hoc subjecto non dari medium, e. g. non est liberatus; ergo adhuc est obligatus. 5) Cognito uno oppositorum cognoscitur alterum, non accurate, sed quatenus est species opposita, ita cognitis personis, quæ sunt alieni juris,

cogno-

cognoſcuntur etiam perſonæ quæ ſunt ſui juris.

MEMBRVM VIII.
DE ARGVMENTO A TESTIMONIO DESVMPTO.

§. 354.

1) A teſtimonio principis argumentamur affirmative in iis, quæ a voluntate & poteſtate ejus dependent, utpote ſi legem condat, vel aliquid concedat: e. g. ut nobilitas de novo conceſſa valeat tanquam antiqua. In factis autem alienis ei non creditur; quia non dependent ab ejus poteſtate & voluntate. Hinc quæ princeps tantum narrative; obiter, & incidenter in L. refert, ut in *L. 21. & 8. Cod. locat.* de certa ponderatione olei, & certis annuis quantitatibus, vim probandi non habent. Sic quoque 2) a lege affirmative argumentamur & probamus: e. g. hoc lex dicit, ergo eſt verum. Sed lege ceſſante, vel ceſſantibus legum verbis, non ceſſat legis diſpoſitio; quia poteſt eſſe ratio, ſecundum quam, quod omiſſum; quia legislator de eo non fuit conſultus, trahendum ad caſum ſimilem *Zœſ. ad π. de conſtit. pecun. n. 21.*

§. 355.

3) Argumentum a communi sententia desumptum, quando hæc evidenter falsi convinci non potest, firmius est, quam desumptum a singulari alicujus opinione. 4) Ab autoritate autoris alicujus classici, veteris, experientis, firmum est argumentum, e. g. Bartoli, Baldi &c. quamquam dantur novi autores istis similes, & forte in multis præstantiores.

§. 356.

Nunc de testimonio testium aliquid dicendum. *a*) Iudicis testimonium super iis, quæ partes coram ipso gesserunt, est firmum, donec probetur contrarium; quia pro judice stat præsumptio integritatis, vid. *Carpz. decis. 48.* sed super facto proprio testimonium non valet sine actis *Berg. œcon. jur. pag. 18.* *b*) Artificibus experientissimis in sua arte est credendum, donec contrarium probetur *arg. L. 36. π. de solut. L. 12. π. de stat. hom.* *c*) de testimonio reliquorum testium notandum, quod sit admodum fallibile, idcirco non nimium ei fidendum. Magna ergo cautione circa fidem testium est opus; cum quidam homines ad mentiendum sint

vel

vel propter affectus *L. 6. π. de testib.* vel lubricum ingenium, quod immaturam ætatem sequi solet, ob quod ne propriis quidem negotiis sunt sufficientes, multo ergo minus in alienis admittuntur, quo pertinent impuberes. Unde jus civile *tit. præsertim π. de testib.* jubet explorare dignitatem, fidem, mores, gravitatem constantiam dictorum *L. 2. d. tit.* Ad dignitatem pertinet conditio cujusque. Ad mores, an honestæ & inculpatæ vitæ sit, an notatus & reprehensibilis. Ad fidem, an locuples, an egens sit, ut lucri causa facile aliquid dicturus sit; an amicus, an inimicus sit *L. 3. π. ibid.*

§. 357.

Sed non uni testi, cujuscunque sit fidei credendum; quia rationis lumine & efflato sacræ scripturæ dictante non in unius, sed duorum vel trium testium ore stat veritas *Matth. 18. v. 16. 2. ad Cor. 13. v. 1.* quo dictamine generali suffulti statuimus in nulla, quamcunque priuilegiata causa unius testimonium sufficere. Immo nec duorum vel trium, vel plurium dicta faciunt certitudinem, sed ex cauta eorum combinatione oritur saltem præ-

præsumptio veritatis (quæ combinatio facienda a judice.) Nam dum testes idonei ante examen ignari, ad quid citati sint, rite examinati conveniunt & consentiunt in uno dicto, non potest non accedente juramento oriri præsumptio veritatis validissima; nam testes quoque jurare debent, nec sine juramento eorum dicta quidquam valent, & juramentum est de forma depositionis, quo in uno articulo violato, & falso depositio, tota depositio quo ad omnes articulos est falsa; licet enim sit dividua illa depositio quo ad materiam, est tamen individua quo ad fundamentum & formam, quæ est una, scilicet juramentum; jurat enim testis se veritatem dicturum super omnibus & singulis articulis. Si ergo hæc forma semel est violata & subversa, omnia, quæ super ea fundantur, sunt subversa. *Petr. Theodoric. colleg. crim. cap. 8. aph. 2. n. 23.* & sic utile per inutile viatur. Formam juramenti testium, vid. *L. 3. pr. in fin. ff. de testib.* Quo juramento etiam constringendi sunt artifices, quando in singulari casu prævia oculari inspectione &c. testari debent, nisi tamen initio suscepti officii juramentum, *Amts-Pflicht*, præ-

præstiterint de officio suo rite peragendo (quod in omnibus obtinet, qui juramentum officiale præstiterunt) quo tamen juramento non est opus, quando de re suæ artis in abstracto testantur; quia tunc non est ratio indulgendi affectibus &c. Hinc magis creditur doctoribus in lecturis, quam in consiliis.

§. 358.

Ubi adhuc nota 1) duobus testibus affirmantibus magis credendum esse, quam mille negantibus; quia deponens super affirmativa potest reddere causam magis probabilem, cum negativa non ita se offerat sensui, sicut affirmativa; quæ ratio cessat, quando negativa tempore & loco est coarctata vid. *Andr. Gail. lib. 1. de pac. pub. cap. 16. n. 23.* Fallit ista regula *a*) in criminalibus, ubi negantibus potius creditur, quam affirmantibus, *b*) fallit quando testes negantes deponunt pro reis, quibus magis creditur, quam pro actore deponentibus

§. 359.

Nota 2) quod testis unus fide dignus probet plene cum teste infami *Vultej. conf. marp. 15. n. 173. vol. 1.* it. quod unus testis contra producentem plene probet. *Vultej. ibid. n. 174.* §. 360.

§. 360.

Nota 3) testibus deponentibus vero similiora magis cedendum esse, etiamsi essent minus digni, & contrarium deponentes essent plures *cap. 32. X. de testib.* Nam qui arguit a verosimili, arguit a ratione naturali, cum verisimilitudo sit cognata naturæ. Hinc magis credendum testibus de antiquiore possessione, & de possessione titulata; it. quibus aliqua præsumptio assistit; it. deponentibus cum causa scientiæ, quam contra; it. deponentibus in specie, quam in genere; it. deponentibus aliquem bonum, quam malum asserentibus. *Daniel Otto Dialect. jur. lib. 1. cap. 28.* Item pluris est testis unus oculatus, quam auriti decem, siquidem omnes plus oculis, quam auribus credunt, cum visus sit similis intellectui & celerrime apprehendat.

CAPVT VI.

DE SYLLOGISMO SOPHISTICO.

§. 361.

SYLLOGISMVS Sophisticus est argumentatio, qua ad imitationem veri falsum aliquid concluditur. Et committitur

tur vel in forma, vel in materia. Quo ad formam vid. §. 230. 233. & 234. e. g. omne adulterium est puniendum, nullum furtum est adulterium; ergo nullum furtum est puniendum. Qui est falsus Syllogismus; quia est in prima figura, & minor negativa, & sic sub medio termino non descenditur ad inferiora contra §phum 239. in fin. In materia committitur fallacia, quando ex iis, quæ speciem veri habent, vera tamen non sunt, aliquid concluditur. Et hæc iterum duplex est, vel in dictione, sive verbis, vel extra dictionem, scilicet in rebus.

§. 362.

Fallaciæ dictionis sunt sex, æquivocatio; amphibolia; compositio; divisio; accentus & figura dictionis, quas duas ultimas tanquam leves non attendo.

§. 363.

Exemplum fallaciæ æquivocationis, vid. jam alleg. §. 233. Aliud exemplum est hoc: actio æstimatoria oritur ex contractu innominato. Sed actio quanti minoris est actio æstimatoria. Ergo actio quanti minoris oritur ex contractu innominato. Resp. actio æstimatoria accipitur

tur æquivoce: 1) Quatenus oritur ex contractu innominato, qui dicitur contractus æstimatorius. 2) Quatenus oritur ex ædil. edicto, vel ex emptione venditione, & tendit ad minorem rei æstimationem propter vitium *L. 11. §. 3. π. de act. empt. vend. L. 31. §. 20. π. de ædil. edict.* Huic ergo fallaciæ potest occurri per distinctionem, vel plane negari potest consequentia; quia quatuor sunt termini in Syllogismo, cum medius terminus in diverso accipiatur significatu in majore, & minore propositione, & sic peccetur contra §phum 234.

§. 364.

Amphibolia, sive amphibologia est ambigua oratio, quæ scilicet in diversos sensus accipi potest: e. g. quæritur; an, si emptor conveniatur a tertio ratione rei emptæ, sed vincat, & compensentur expensæ; quia forte tertius iste vindicans habuit justas litigandi causas, venditor teneatur emptori restituere sumtus litis? quod asserit *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. π. de evict. §. 38.* ex ratione; quia venditor tenetur efficere, ut emptori rem habere liceat, & quidem habere liceat sine interpellatione *L. 11. §. 8. & 13. dict.*

dict. tit. Sed respondetur, habere licere duplicem habet sensum: 1) ne res evincatur; 2) ut venditor sumptus præstet. Utroque sensu accipit *Lauterb. d. loc.* cum tamen primo saltem sensu accipi debeat per *L. 18. Cod. de evict.* & sic Lauterb. committi sophisma. De cetero, quod Lauterb. scribit, quod venditor efficere debeat, ut emptori sine interpellatione habere liceat, in nulla lege continetur. Aliud exemplum vid. apud *Vinn. ad §. 40. n. 5. pr. J. de R. D. & A. E. D. pag. 179.*

§. 365.

De fallacia compositionis & divisionis vid. supra §phum 150. sub n. 3. Hic nota, quod hæc fallacia evitetur & detegatur per disjunctionem, fallacia divisionis per conjunctionem. Alius adhuc est modus fallendi per compositionem, quando scilicet vocabula, quæ erant conjungenda, separantur. Talem fallaciam committunt quidam Doctores in *§. 7. Inst. de act.* dum ita legunt: *Si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit bonis ejus creditoribus possessis &c.* non ponendo comma ante vocabula: *bonis ejus a creditoribus possessis*, atque ita ista verba

referendo ad priora, cum referri debeant ad posteriora, ut sensus sit hic: *Si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit, bonis ejus a creditoribus possessis permittitur creditoribus rescissa traditione rem petere*, vid. *Vinn. ad d. §. n. 7.* Talis quoque fallacia committitur in *L. 12. Cod. de de præd. & al. reb. min.* ubi quidam legunt sic: *ob æs alienum tantum, causa cognita &c.* cum legi debeat sic: ob æs alienum, tantum causa cognita &c. vid. *Coccej. jur. controv. lib. 27. tit. 9. q. 1.* vid. *L. 5. §. 3. π. de extraordin. cognit.* ibi pro veluti, pone, vel uti. *Lauterb. colleg. theor. pract. in prolegom. §. 15.*

§. 366.

Econtra fallaciam divisionis committunt doctores in *L. 16. π. de excus. tut.* quando vocem: *etiam*, dividunt a curatione, & jungunt appellationi. Item malam divisionem committunt in *L. 4. §. 1. π. de in lit. jurand.* ibi: deferre autem jusjurandum judicem oportet. Ubi vox: *oportet*, non est separanda a judice, & applicanda voci deferre. Sensus ergo est, quod judex debeat deferre, non, quod necesario debeat deferre. Id est, qui defert debet esse judex. Et hunc sensum

ipse

ipse textus insinuat, vid. *Lauterb. colleg. theor. pract. ad tit. de in lit. jur. §. 5.* Ita quoque in *L. 3. Cod. de incol. lib. 10. tit. 39.* verba: *velut incolas.* legenda sunt ad subsequentia, non antecedentia verba, ut sensus sit: qui in territorio commorantur, non tenentur ad munera, ut oportet incolas *Lauterb. colleg. ad tit. ad municip. §. 14.* Item in *L. 4. Cod. quod cum eo, qui in alien. potest. neg. gest. &c.* legendum est: si ex contractu patris, jussu ejus &c. Et sic filius fuit nudus nuncius.

§. 367.

In vocibus quoque fit fallacia, quando notio prima, sive realis, commutatur cum notione (sive significatione) secunda; e. g. genus est conceptus mentis; sed animal est genus, ergo animal est conceptus mentis. Ubi respondetur distinguendo minorem, animal est genus, scil. animal acceptum quoad notionem secundam, concedo; quoad notitiam primam, nego. Sic quoque distinguo consequens.

§. 368.

Extra dictionem multis modis committuntur fallaciæ; 1) quando major terminus cum medio per se cohæret, ut ma-

jor propositio per se vera sit. Medius autem terminus cum minore termino per accidens, ut minor propositio per accidens tantum vera sit: e. g. quod est causa mali, est malum. Sed mercatura est causa mali; ergo mercatura est mala. Ubi distinguo minorem, quod est causa mali per se, id est malum concedo; quod est causa mali per accidens, id est malum nego; mercatura autem est causa mali per accidens; nam malitia non est in ipsa mercatura, quæ est justa commutatio precii cum merce, sed malitia est in persona injustum lucrum quærente. Eodem modo respondetur, quando quis dicit ex testamentis multas oriri lites, hoc enim fit per accidens, & ex malitia hominum. Sic quoque quando a gentili in gravissima causa juramentum peto, & is jurat per deastros, sum causa mali per accidens.

§. 369.

Est etiam 2) fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, quando quis ab eo, quod secundum quid verum est, argumentatur, ad dictum simpliciter, e. g. æthiops est albus secundum dentes, ergo æthiops est albus. Falsa est conclu-

sio.

sio. Item, filiusf. potest testamentum facere de peculio castrensi, & quasi castrensi, ergo potest testamentum facere. Item, quod non est in bonis non potest cedi. Sed actio injuriarum non est in bonis (scil. ante litem contestatam) *L. 28. π. de injur.* ergo actio injuriarum cedi non potest. Resp. major loquitur simpliciter, minor secundum quid. Nam actio injuriarum non est in bonis quo ad transmissionem, quo ad commoda autem est in bonis, etiam ante litis contest. *Salicet ad L. Si nomen π. de hered. & act. vendit.* vid. *Zæs. ad tit π. de rei vind. n. 9. Carpz. decis. 64. n. 31. Lauterb. colleg. theor. pract. lib. 20. tit. 2. §. 66. Hartung. ad Brunnem. enchirid. log. jurid. lib. 3. memb. 2. cap. 3. §. 11.* Est etiam fallacia a dicto simpliciter ad dictum secundum quid: e. g. donationis causa societas non contrahitur *L. 5. §. 2. π. pro. soc.* scilicet in solidum. ergo pro parte non contrahitur donationis causa, negatur consequentia.

§. 370.

3) Est fallacia consequentis, quando nimirum duo habentur pro convertibilibus, quæ tamen talia non sunt. Seu ad-

huc generalius: quando consequentia in propositionibus hypotheticis & enthymematibus claudicat: e. g. si licet decipere alium, utique honestum est. Hæc est falsa consequentia, quia non statim, quod negative licitum est, id est, non prohibitum, & nulla pœna statuta, est etiam honestum.

§. 371.

4) Est fallacia causæ, quando scilicet non vera causa pro vera ponitur, aut pro tali, qualis non est, aut vera causa proponitur, sed non recte applicatur: e. g. quidam Doctores sic argumentantur: dies legati usufr. non cedit a morte testatoris, sed a tempore additionis hereditatis; ergo ipso jure non constituitur; Putant ergo constitutionem ab herede faciendam, esse veram causam usufructus legati. Sed hoc est falsum; nam non ideo dies usufr. legati non cedit a morte testatoris, quia ab herede post aditam hereditatem primum constitui debet, sed propter jus transmissionis, quod in legato usufructu tanquam personali cessat. Item, quæritur, an vacca vendita debeatur vitulus ante venditionem natus, qui tamen vaccam adhuc sequitur? Resp. quod non; quia

quia non est pars matris, nec accessio. Alii contra statuunt propter *L. 19. §. 7. π. locat.* ubi si prægnans mulier imposita navi ibi pepererit, pro partu non debetur vecturæ precium; ergo, ajunt, partus est pars matris vel accessio. Resp. est fallacia causæ, quia non ideo precium vecturæ negatur; quia partus est pars, vel accessio, sed quia vectura est levis. *d. L. 19.* 2) Qui prægnantem recepit in navem, videtur consensisse in vecturam partus sine novo præcio. Eadem fallacia committitur in *L. 10. π. de præc.* quia partus simul cum matre videtur præcario traditus. Eadem est responsio ad *L. 5. §. 9. π. commod.* In sequente Syllogismo vera causa quidem proponitur, sed non recte applicatur: Cujus finis bonus est, idipsum bonum est. Sed permissionis scortationis in lupanario finis bonus est, (scilicet ut majora delicta carnis eviten-tur) ergo &c. Resp. adducta regula vera est, quando medium non est per se malum; quando est malum, fallit, nam in minore proponitur medium per se malum, & sic negatur consequentia. Nota, quod aliquando JCtus causam allegando, quæ tamen causa non est, pinguius

loquatur. Ita dicit JCtus in *L. 23. §. 4. de ædil. edict.* actionem ædilitiam oriri ex contractu, cum tamen sit ex edicto.

§. 372.

Est denique fallacia, quando leges oppositionis non observantur, quando scilicet pro oppositis venditantur, quæ opposita non sunt: e. g. mutuum non est contractus bonæ fidei; ergo est malæ fidei. Negatur consequentia, quia contractus bonæ fidei & stricti juris opponuntur; Non bonæ fidei & malæ fidei.

CON-

CONSPECTVS
LIBRORVM, CAPITVM AC SECTIONVM.

LIBER I.
DE
SIMPLICIVM APPREHENSIONE.

CAP. I.
De Signis et Terminis. pag. 1.

SECTIO I.
De Signis. 1.

SECTIO II.
De Terminis, et varia eorum divisione. 5

SECTIO III.
De Termino abstracto et concreto, et de ipsa abstractione. 21

SECTIO IV.
De reliquis Terminorum Divisionibus. 28

CAP. II.
De Praedicabilibus. 32

SECTIO I.
De Genere, Specie, et Differentia. 33

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0381
DFG

SECTIO II.
De Proprio. pag. 44
SECTIO III.
De accidente. 49
CAP. III.
De Prædicamentis. 51
SECTIO I.
De Prædicamentis in genere. 51
SECTIO II.
De Prædicamento Substantiæ. 55
SECTIO III.
De Prædicamento Quantitatis. 61
SECTIO IV.
De Prædicamento Qualitatis. 66
SECTIO V.
De Prædicamento Relationis. 75
SECTIO VI.
De Prædicamento Actionis et Passionis 81
SECTIO VII.
De Prædicamento Ubi, Quando, Situs et habitus. 84
CAP. IV.
De Definitione. 86
CAP. V.
De Divisione. 97
CAP. VI.
De Consentaneis et Dissentaneis. 106

LIBER

LIBER II.

DE ENVNCIATIONIBVS.

CAP. I.

De Enunciationibus simplicibus, sive categoricis. pag. 110

SECTIO I.

De Enunciationibus simplicibus, sive categoricis secundum partes essentiales consideratis. 110

SECTIO II.

De Affectionibus Enunciationum, et quidem de Suppositione. 123

SECTIO III.

De Statu, Distractione, Ampliatione, Appellatione, et Restrictione, atque Quantitate Propositionum sive Enunciationum. 135

SECTIO IV.

De Propositione exponibili. 150

SECTIO. V.

De Propositione modali. 161

CAP. II.

De Enunciationibus compositis. 164

CAP. III.

De Oppositionibus, Aequipollentiis, Conversionibus, et Consecutionibus Enunciationum et de Argumento a contrario sensu. 176

CAP. IV.

De Propositione materialiter considerata. 192

LIBER

LIBER III.

DE SYLLOGISMO IN GENERE ET IN SPECIE.

CAP. I.

De Syllogismo simplici. pag. 209

CAP. II.

De Syllogismo composito. 229

CAP. III.

De Quibusdam Syllogismi Affectionibus. 238

CAP. IV.

De Syllogismo demonstrativo. 251

CAP. V.

De Syllogismo dialectico. 261

MEMBRVM I.

De Argumento a vocibus desumpto. 262

MEMBRVM II.

De Argumento a Definitione desumpto. 283

MEMBRVM III.

De Argumento a causa ad effectum, et ab effectu ad causam. 290

MEMBRVM IV.

De Argumento a Toto ad partem et a Parte ad Totum. 306

MEM-

MEMBRVM V.

De Argumento a Subiecto ad Adiunctum, et ab Adiuncto ab Subiectum. pag. 313

MEMBRVM VI.

De Argumento ab Antecedentibus, Consequentibus, et Circumstantiis, atque Signis. 322

MEMBRVM VII.

De Argumento a Comparatis et Disparatis. 331

MEMBRVM VIII.

De Argumento a Testimonio desumpto. 345

CAP. VI.

De Syllogismo Sophistico. 350

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
IN HOC OPERE OCCVRRENTIVM.

Ubi Numerus §. designat.

A.

Abstractio quid sit? §. 18
Actio, quid sit, quæ immanens, & quæ sit transiens? 86
- - quæ instantanea, ac quæ successiva? 87
Actio directa, quid significet, & quomodo opponatur utili, quomodo contrariæ, quomodo noxali? 8
Accessoria, dicuntur accidentia 46
Accidens, quid sit? 44
- - physice consideratum interdum juridice est substantia 45. 60
Adjectiva significant rem 6. 122
Adverbia significant rei modum. ibid.
- - propositionem universalem, vel particularem proprie non faciunt n. 2. 156
Aequipollentia 205
Altar-Leuthe, qui per eam vocem intelligantur 286
Amphibolia, quid sit? 364
Ampliatio, quid sit? 149
Analogia proportionis vel attributionis, quid sit? 9. 10
- - attributionis intrinsecæ quid sit? 10
- - - - - extrinsecæ quid sit? 13
Analogum per se sumtum pro quo accipiatur? 12
Antecedens, quid sit? 337
Appellatio, quid sit? 150
- - quid sit realis? quid rationis, quæ intrinseca, quæ extrinseca, quæ sit secundum formale subjecti, & quæ sit secundum materiale subjecti. ibid.

Argu-

Argumentum a ſpecie ad genus valet affirmative, ſed non negative §. 33
- - a genere ad unam ſpeciem non valet affirmative, ibid. valet tamen negative ibid.
- - a genere ad omnes ſpecies disjunctive valet ibid.
- - ab etymologia procedit tantum in nominibus appellativis 282
- - ab etymologato 35. & 279
- - a contrario ſenſu 212. 213
- - quando non procedat? 214
- - a conjugatis quando procedat? 283
- - a natura numeri ſingularis & pluralis 288. 289
- - a natura particularum excluſivarum 290
- - a natura particularum implicativarum 292
- - a natura particularum alternativarum 293
- - a particula copulativa 294
- - ab æquipollentiis 205. & 296
- - ab ordine materiarum 342
- - a circumſtantiis 343
- - a tempore ad tempus ibid.
- - a comparatis & diſparatis 344
- - a libertate ad piam cauſam an valeat? 347
- - a correlatis 349
- - valet etiam in pœnalibus 350
- - a diſparatis; contrariis; contradictoriis; relativis, & privatione oppoſitis 353
- - a teſtimonio Principis 354
- - a communi ſententia 355
Aurea Bulla cur ita dicatur? 13
Avocatio, quid ſit? 95

B.

Blasphemia an dividatur in licitam & illicitam? 111

C.

Cauſa prima, propria & adæquata, quid ſit? 269
Clauſula in principio, in medio, in fine poſita ad quæ referatur? 299

Cogi-

Cogitationes aliis manifestantur mediate & per signa §. 1
Commestibilia Jur. Sax. viduæ nobili ex omnibus prædiis defuncti mariti præstanda sunt 73
Conclusio debet sequi partem debiliorem 237
Consentanea, quæ sint? 114
Conversio propositionum quid sit & quotuplex 206
Correlationis propria 85
Correlata quomodo definiantur? 104

D.

Definitio, quid sit, & quæ nominis, 95
- - - - quæ rei? 96
- - - - quæ perfecta? 99
- - - - quæ imperfecta? 101
- - debet esse affirmativa 102
- - admittitur interdum negativa ibid
- - testamenti an sit latior? 96
- - tutelæ an contineat superflua? 97
- - an per disjunctionem fieri possit? 104
Deponere, quid significet? 7
Depositum, quid significet? 8
Descensus, quotuplex sit? 139
- - copulativus 139
- - copulatus 144
- - disjunctivus 147
- - disjunctus 148
Differentia quid sit? 27
- - unde desumatur? 28
- - est specifica, vel generica 30
Differentiæ munus 31
Differentiam cum genere componere speciem quomodo intelligendum? 32
Dilemma, quomodo formetur? 251. & 252
Dissentanea, quæ sint? 115
Distractio, quid sit? & quando propositio in ea sumatur? 149
Divisio est vel vocis vel rei, quæ sit utraque 106. & 107
- - an necessario debeat esse bimembris 112

Divi-

Divisionis requisita §. 111
- - alterum membrum an negative exprimi possit ? 113
Dolus, sumitur dupliciter 12
Dos, est æquivocum, significatque plura 8

E.

Ehe-Gelder, quid significent? 286
Enthymema 260
Enunciatio, quid sit 117
- - interrogatiua sæpe pro negativa habetur ibid.
- - admirativa continet affirmativam ibid.
- - affirmativa non æstimatur ex figura verborum 120
Exceptio, quid sit ? 95. et 101

F.

Factum, non minus efficax est ad significandam voluntatem, quam verba 2
Fallacia, quotuplex ? 361
- - dictionis, quotuplex ? 362
- - compositionis et divisionis, quomodo evitetur, aut detegatur 365
Feræ bestiæ, quomodo dicatur res nullius? 21
Feudum est æquiuocum significatque tria 8
Figuræ Syllogismorum quot sint ? 239

G.

Genus, quid sit ? 24
- - quomodo in genere sit plus, quam in specie & in specie plus, quam in genere? 24
- - est vel proximum, vel summum, vel intermedium, ac quid sit utrumque? 26
- - est vel analogicum, vel univocum, & quid sint ? 29
- - in definitione quandoque omittitur 96. n. 5
- - per species restringitur, non ampliatur. 297

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0389
DFG

H.

Habitus, quid sit & quotuplex? §. 74. 75. 76. et 93
- - quomodo definiantur? 104
Hereditas, quid sit, & quotupliciter sumatur? 13
Heres, alius est suus heres, alius heres suus 7
Heuraths-Guth quid significet? 286

I.

Imperator, quomodo dicitur mundi dominus? 13
Inductio, quid sit? 260
Instantia, quomodo per eam probatur? 257
Instrumentum, quid per illud indicetur? 10
Juramentum in litem cur ita dicatur? 13
Jus, quotupliciter accipiatur? 106
Justitia, quomodo dicatur constans & perpetua voluntas? 13
- - an recte dividatur in universalem & particularem? 111
Justum agere et juste agere differunt 6
Jurisprudentia, quatenus sit scientia, & quatenus prudentia? 111

L.

Liberi, qui sub voce ea intelligantur? 10
Locutio indefinita æquipollet universali 159
Locutiones indefinitæ legum quandoque æquipollent particulari. 160

M.

Majestas, quid sit, & an pertineat ad analoga, an ad æquivoca? 10
Materia propositionum quotuplex? 180
Mitgifft, quid significet? 286

N.

Necessitas, hujus dantur gradus 222. 223. & 224
Nomen, quid sit? 129
Nomen finitum & infinitum quid sit? 130
Nomina non significant actionem fieri in tempore 129

O. Obli-

O.

Obligatio, quid sit? §. 95
Obligatio quomodo dicitur literarum & verborum 13
Oppositio, quid sit? 200
- - quæ simplicium, & quotuplex? - 203

P.

Particula exclusiva quænam excludat 290
Particula disjunctiva posita inter plures conditiones resolvitur in conjunctivam 192
- - - AVT continet quandoque virtualiter enunciationem copulativam 192
- - negandi afficere debet principalem copulam 123
- - negativa fortius negat, quam affirmativa affirmat 125
- - NISI, aliquando exceptive, aliquando illative accipitur 171
Particulæ disjunctivæ quæ sint? - 191
- - conditionales, quæ sint? - 189
- - negandi quæ sint? 124
- - reduplicativæ, seu restringentes, quæ sint? 173
Partus, alius perfecte natus, alius perfectus natus 6. 122
Passio, quid sit, quæ intentionalis, & quæ transmutativa? 88
Pater an possit esse testis pro uno filio contra alium filium? 347
Patibilis qualitas 77
Pignus est terminus æquivocus 8
- - quotuplici significatu sumatur? 49
Possessio bonorum non idem est ac bonorum possessio 7
- - quomodo differant ibid
Posteri est terminus technicus 7
- - quem technice designet? 7
Potentia, quid sit? quæ naturalis, quæ moralis? 70
- - moralis activa quid sit? 70
- - - passiva quid sit? 72
Prædicamentum, quid sit? 48

Privilegium reale est aquivocum, significatque plura §. 8.
- - negativum potentius est affirmativo 125
Probatio significat perfectam ac imperfectam. 12
- - a judice simpliciter imposita, intelligitur perfecta ibid.
Propositio categorica quæ sit? 128
Propositio indefinita, quæ sit? 159
- - exponibilis 162
- - exclusiva 165
- - - - vel formaliter, vel virtualiter ibid.
- - - - subjecti 166
- - - - prædicati 167
- - exceptiva quid sit? 170
- - reduplicativa quid sit? 173
- - - - in specie, & specificativa, quæ sint? 174. 175
- - comparativa 178
- - modalis 179
- - - - divisa & modalis composita quæ sint? 183
- - composita 185
- - conditionalis 187
- - disjunctiva 190
- - copulativa quid sit? 195
- - universalis negativa, particularis affirmativa, universalis affirmativa, particularis negativa quomodo convertantur? 206
- - universalis non semper universaliter intelligenda est 138
- - materialiter considerata, quotuplex sit? 216
- - theoretica quid sit? 217
- - practica quæ sit? 218
- - necessaria quid sit? 221
- - contingens, quid sit? 225
- - obscura 226
- - quomodo ejus interpretatio instituenda ibid.

Pro-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0392
DFG

Proprium, quid sit? & varia ejus nomina §. 37
- - est quadruplex 38
- - quarti modi quid sit? 38
- - tertii modi quid sit? 39
- - secundi modi 40
- - primi modi 41
Propria substantiæ 54
- - correlationis 85
- - quomodo definiantur? 104

Q.

Qualitas, quid sit? 67
- - patibilis 77
Qualitatis quatuor sunt species 69
- - propria 78
Qualitates morales quomodo definiantur? 104
- - contractuum, quæ sint 68
Qualitate extincta extinguitur jus ejus intuitu concessum 68
Quantitas, quid sit? quomodo dividatur, et quid utraque sit? 61
- - propositionis quotuplex? 153
- - - - universalis 154
- - - - particularis 156
- - - - singularis 161
Quarta Falcidia est terminus æquivocus, sumiturque triplici sensu 8

R.

Reductio ex secunda figura ad primam, quomodo fiat? 245
- - ex tertia figura ad primam 246
Regula: qui omnia dicit, nihil excludit, quomodo limitanda? 279
- - quæ generaliter ponuntur, generaliter sunt intelligenda, quomodo sit limitanda? 299
- - species excepta firmat regulam in casibus non exceptis admittit suas limitationes 302

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0393
DFG

Relata, quomodo definiantur? §. 104
Relatio, quid sit? 79
- - quæ in ea considerandæ sint? 80
- - mutua, & non mutua quæ sint? 83
- - disquiparantiæ & æquiparantiæ quæ sint? 84
Res æquales, quæ dicantur, & quæ similes? 65
Res sactæ, sanctæ, ac religiosæ, quomodo dicantur res nullius? 21
Replicatio quid sit? 101
Requisita divisionis 111
Restrictio quotuplici modo fiat? 151
Roma est communis patria 90

S.

Servitus, quomodo dicatur constitutio juris gentium? 13
Signum quid sit? et quotuplex 2
- - est vel per se subsistens, vel factum, vel vox ibid.
- - est vel naturale, vel ex impositione hominum tale 3
- - - quid sit utrumque ibid.
Signa universalia, quæ sint? 154
- - particularia quæ sint? 156
- - exclusiva quæ sint? 165
Situs, quid sit? quid naturalis, quid voluntarius? 92
Sorites, quid sit? 262
- - quomodo reducatur? 263
- - compositus ejusque reductio 264
Species, quomodo eam accipiant Stoici, & quomodo Aristotelici? 36
Status, quando propositio sumatur in statu? 149
Substantia quid sit? 52
- - est vel prima, vel secunda 53
- - denotat sæpe bona 53
- - in materia juridica interdum accipitur pro accidente 45. & 60
Substantiæ propria 54
- - morales quomodo definiantur? 103

Suppo-

Suppositio, quid sit? §. 134
- - quotuplex? 135
- - materialis, & formalis, quæ sint? quæ communis, quæque singularis? 135
- - simplex? quæ? 136
- - absoluta quæ? 137
- - personalis quæ? 138
- - distributiva 140
- - est vel simpliciter, vel cum exceptione talis 143
- - collectiva, quid sit? 144
Syllogismus quid sit? 228
- - perfectus & imperfectus qui sint? 231
- - compositus quid sit & quotuplex? 248
- - conditionalis 249
- - assumptivus 250
- - cornutus 251
- - disjunctivus 253
- - copulativus 254
- - demonstrativus quid sit? 265
- - dialecticus quid sit? 275
- - sophisticus 361
- - quomodo formetur in primâ figura? 239
- - - - in secunda figura? 241
- - - - in tertia figura 242
Syllogismorum modi primæ figuræ 244
- - - - secundæ figuræ 244
- - - - tertiæ figuræ 244

T.

Terminus est vel categorematicus, vel syncategorematicus, et quid sit uterque? 6
- - vulgaris & technicus quid sint? 7
- - univocus, æquivocus, & analogus quid sit? 8. 9
- - concretus & abstractus quid sint? 14. & 16
- - oralis & mentalis quid sint? 19
- - universalis & singularis quid sint? 20
- - quando terminus universalis dicatur accipi distributive & in suppositione distributiva ibid.


Termi-

Terminus positivus & negativus quid sint? §. 21
- - consentaneus & dissentaneus quid sint? 22
- - prædicabilis est vel essentialiter vel extraessentialiter, & quid sint? 23
- - negativus & priuativus quid denotent? 116
Totum quotuplex? 107
- - quid proprie dictum? quid analogicum? ibid.
- - essentiale quid sit? quid integrale, quid homogeneum, quid heterogeneum? 108
- - concretum quid sit? quid aggregatum 109
- - analogicum quotuplex? 110

V.

Ubi quid sit? 89
- - physicum & morale quid sint? 89
- - quid proprium, quid commune? 90
Usurpatio, quid sit? 101
Venter quomodo dicatur in possessionem mitti? 13
Verbum quid sit? 129
Voluntas, quomodo justitia dicatur constans & perpetua voluntas? 13
Vox dicitur terminus & notio 5
- - ejus origo est vel vera vel allusiva. 278

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0396
DFG



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0400
DFG

quantur genus; ſive enim dicam: bo
mea mobilia omnia, ſive: omnia m
bona mobilia lego, nihil intereſt.

§. 298.

Huic proxima eſt altera Regula: Qu
generaliter ponuntur, generaliter ſunt i
telligenda, & generalis diſpoſitio tantu
operatur in ſpeciebus, quantum ſpecia
expreſſio ſingulorum: e. g. ſi cautum ſ
ne luminibus officiatur, verbo genera
omne lumen continetur; ſive quod in pr
ſenti eſt, ſive quod poſt tempus conventi
nis contigerit. *L. 23. π. de ſervit. urb. præ*
Ex hac regula patet, quod etiam ſuppe
lex illata in prædium urbanum cond
ctum ſit pignori tacito obligata, ob g
neralem & indefinitam locutionem *L.*
pr. π. de pact. & L. 7. in fin. π. in quib. ca
pign. vel hypot. tac. contrah. Simplicit
renuncians ſucceſſioni, tam teſtament
riæ, quam legitimæ; tam civili, qua
prætoriæ, id eſt, bonorum poſſeſſioni r
nunciaſſe videtur. *Zæſ. ad tit. π. de acq*
vel amitt. hered. n. 54. vid. ſupra §. 159. ſeq

§. 299.

Quod dictum generalem locutione
generaliter eſſe intelligendam, & ind
finita

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 1606
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172768110X/phys_0401
DFG